

ORDO BAPTISMI PARVULORUM

ORDO BAPTISMI PARVULORUM




RITUALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO BAPTISMI PARVULORUM

EDITIO TYPICA ALTERA



LIBRERIA EDITRICE VATICANA
MCMLXXXVI

Nova impressio, 2003

Tel. 06.6988.5003 - Fax 06.6988.4716

ISBN 88-209-1546-4

www.libreriaeditricevaticana.com



SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 50/69

DECRETUM

Ordinem Baptismi parvulorum in Rituali Romano exstantem esse recognoscendum, Sacrosanctum Concilium Vaticanum II edixit, ut ritus condicioni infantium accommodaretur; parentum et patrinorum partes et officia magis paterent; opportunæ statuerentur aptationes pro magno baptizandorum numero aut pro Baptismo a catechistis, in terris Missionum, vel ab aliis, absente ministro ordinario, celebrando; et Ordo conficeretur quo indicetur infantem, ritu brevi baptizatum, iam receptum esse in Ecclesiam (Const. de sacra Liturgia, artt. 67-69).

Hæc recognitio a Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia peracta est. Summus autem Pontifex PAULUS VI novum Ordinem Baptismi parvulorum in locum Ordinis in Rituali Romano exstantis in posterum adhibendum auctoritate sua apostolica approbavit et evulgari iussit.

Quapropter hæc Sacra Congregatio, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis, illum promulgat, statuens ut a die 8 septembris 1969 adhibeatur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus S. Congregationis pro Cultu Divino, die 15 maii 1969, Sollemnitate Ascensionis Domini.

BENNO Card. GUT
Præfectus

A. BUGNINI
a Secretis

Prot. N. 516/73

DE EDITIONE TYPICA ALTERA

Cum necesse sit ut *Ordo Baptismi parvulorum,* anno 1969 publici iuris factus, iterum typis imprimatur, opportunum visum est editionem alteram eiusdem Ordinis apparare, quibusdam variationibus et additamentis inductis. Maioris momenti sunt hæc quæ sequuntur:

1) pag. 7, n. 2:
loco « a nativa hominum condicione », dicitur: « de potestate tenebrarum erepti »;

2) pag. 8, n. 5:
post verbum « homines », additur: « ab omni culpæ labe, tum originali tum personali, abluit eosque ... »;

3) pag. 15, n. 1:
delentur verba « habere et »;

4) pag. 85, n. 221:
loco « a potestate tenebrarum »; dicitur: « ab originalis culpæ labe nunc ».

Quædam aliæ variationes minoris momenti in titulos et in rubricas inductæ sunt, quo melius responderent verbis seu dictionibus, quæ in libris liturgicis ab anno 1969 in lucem editis occurrunt.

Hanc editionem alteram *Ordinis Baptismi parvulorum,* quam Summus Pontifex PAULUS VI auctoritate sua approbavit, Sacra Congregatio pro Cultu Divino nunc emittit et typicam esse declarat.

Curæ autem Conferentiarum Episcopalium committitur ut variationes et additamenta, in *Ordine Baptismi parvulorum* facta, in editiones eiusdem Ordinis lingua vernacula apparandas inducant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 29 augusti 1973, in Passione sancti Ioannis Baptistæ.

ARTURUS Card. TABERA
Præfectus

✠ A. BUGNINI
Archiep. tit. Diocletianensis
a Secretis

DE INITIATIONE CHRISTIANA

PRÆNOTANDA GENERALIA

1. Per initiationis christianæ sacramenta homines liberati a potestate tenebrarum, Christo commortui, consepulti et conresuscitati, Spiritum accipiunt adoptionis filiorum, et memoriale mortis et resurrectionis Domini cum cuncto populo Dei celebrant.[1]

2. Per Baptismum enim Christo incorporati, constituuntur in populum Dei, acceptaque omnium peccatorum remissione, de potestate tenebrarum erepti in statum adoptionis filiorum[2] transferuntur, nova creatura ex aqua et Spiritu Sancto effecti: unde filii Dei nominantur et sunt.[3] Donatione autem eiusdem Spiritus in Confirmatione signati, ita perfectius Domino configurantur et Spiritu Sancto implentur, ut, testimonium eius coram mundo perferentes, corpus Christi quamprimum ad plenitudinem adducant.[4] Synaxim denique eucharisticam participantes, carnem Filii hominis manducant eiusque sanguinem bibunt, ut vitam æternam accipiant[5] unitatemque populi Dei exprimant; seipsos autem cum Christo offerentes, partem habent in universali sacrificio, quod est tota ipsa redempta civitas,[6] Deo per sacerdotem magnum oblata; et impetrant ut, pleniore facta Spiritus Sancti effusione, in unitatem familiæ Dei totum genus humanum perveniat.[7] Tria igitur initiationis christianæ sacramenta ita inter se coalescunt, ut ad plenam staturam perducant christifideles, qui missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent.[8]

I. De Baptismi dignitate

3. Baptismus, vitæ et regni ianua, primum est novæ legis sacramentum, quod Christus omnibus proposuit ut haberent vitam æternam[9] et quod postea Ecclesiæ suæ cum Evangelio concredidit, cum

[1] Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 14.
[2] Col 1, 13; Rom 8, 15; Gal 4, 5; cf. Conc. Trid., Sess. VI, Decr. de iustificatione, cap. 4: *Denz.* 796 (1524).
[3] Cf. 1 Io 3, 1.
[4] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiæ, *Ad gentes*, n. 36.
[5] Cf. Io 6, 55.
[6] S. Augustinus, *De Civitate Dei*, X, 6: PL 41, 284; Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11; Decr. de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 2.
[7] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.
[8] Cf. *ibid.*, n. 31.
[9] Cf. Io 3, 5.

Apostolis mandavit: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».[10] Quare Baptismus est in primis sacramentum illius fidei, qua homines, gratia Sancti Spiritus illuminati, respondent Evangelio Christi. Ecclesia igitur nihil antiquius nihilque sibi magis proprium habet quam ut omnes, sive catechumeni sive parentes infantium baptizandorum sive patrini, excitentur ad illam veram et actuosam fidem, qua, Christo adhærentes, pactum fœderis novi ineant vel confirment. Ad quod revera ordinantur tum pastoralis catechumenorum institutio parentumque præparatio, tum celebratio verbi Dei atque professio fidei baptismalis.

4. Baptismus præterea est sacramentum quo homines Ecclesiæ incorporantur, coædificati in habitaculum Dei in Spiritu[11] atque in regale sacerdotium et gentem sanctam,[12] necnon vinculum unitatis sacramentale vigens inter omnes qui eo signantur.[13] Propter illum immutabilem effectum, quem ipsa celebratio sacramenti in liturgia latina declarat, dum adstante populo Dei baptizati chrismate liniuntur, ritus Baptismi summo honore ab omnibus christianis habetur, ac nemini illum iterare licet, quando valide, etiam a fratribus separatis, celebratus est.

5. Lavacrum autem aquæ in verbo vitæ,[14] quod est Baptismus, homines ab omni culpæ labe, tum originali tum personali, abluit eosque efficit divinæ consortes naturæ[15] et adoptionis filiorum.[16] Baptismus enim, sicut in orationibus benedictionis aquæ proclamatur, est lavacrum regenerationis[17] filiorum Dei nativitatisque ex alto. Invocatio Sanctissimæ Trinitatis super baptizandos id efficit ut hi, nomine eius signati, ei consecrentur societatemque ineant cum Patre et Filio et Spiritu Sancto. Ad quod fastigium præparant atque adducunt biblicæ lectiones, supplicatio communitatis et triplex fidei professio.

6. Prioris autem legis purificationibus longe præstans, Baptismus hos effectus operatur virtute mysterii passionis et resurrectionis Domini. Qui enim baptizantur, complantati similitudini mortis Christi, consepulti cum illo in mortem,[18] convivificantur etiam in ipso et conresuscitantur.[19] Baptismo enim nihil aliud quam mysterium

[10] Mt 28, 19.
[11] Cf. Eph 2, 22.
[12] Cf. 1 Pt 2, 9.
[13] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Œcumenismo, *Unitatis redintegratio*, n. 22.
[14] Cf. Eph 5, 26.
[15] Cf. 2 Pt 1, 4.
[16] Cf. Rom 8, 15; Gal 4, 5.
[17] Cf. Tit 3, 5.
[18] Cf. Rom 6, 5. 4.
[19] Cf. Eph 2, 5. 6.

paschale recolitur et exercetur, quatenus in eo homines transeunt de morte peccati ad vitam. Ideo in eius celebratione, maxime cum fit in Vigilia paschali aut die dominica, lætitia resurrectionis refulgeat oportet.

II. De officiis et ministeriis in celebratione Baptismi

7. Ad populum Dei, hoc est Ecclesiam, quæ fidem ab Apostolis acceptam tradit et nutrit, præparatio Baptismi et christiana institutio summopere pertinet. Per ministerium Ecclesiæ adulti a Spiritu Sancto vocantur ad Evangelium et infantes in fide illius baptizantur et educantur. Magni igitur refert ut, iam in Baptismo præparando, catechistæ aliique laici sacerdotibus et diaconis cooperationem præstent. Oportet insuper ut in celebratione Baptismi populus Dei, non a solis patrinis et parentibus atque propinquis, sed etiam, quantum fieri poterit, ab amicis familiaribusque, vicinis et nonnullis Ecclesiæ localis membris repræsentatus, partem actuosam habeat, ut communis manifestetur fides atque commune exprimatur gaudium quo noviter baptizati in Ecclesiam recipiuntur.

8. Ex antiquissimo Ecclesiæ more, adultus ad Baptismum non admittitur sine patrino, e communitate christiana assumpto, qui eum saltem in ultima præparatione ad sacramentum suscipiendum iam adiuverit et post Baptismum perseverantiæ eius in fide et in christiana vita operam dabit.

In Baptismo etiam parvuli adsit patrinus, qui tum ipsam baptizandi familiam spiritualiter ampliatam tum Ecclesiæ matris partes repræsentet et, pro opportunitate, parentes adiuvet ut infans ad fidem profitendam perveniat eamque vivendo exprimat.

9. Saltem in ultimis ritibus catechumenatus et in ipsa celebratione Baptismi, patrinus intervenit sive ut fidem baptizandi adulti testificetur sive ut Ecclesiæ fidem, in qua infans baptizatur, una cum parentibus profiteatur.

10. Propterea, de iudicio animarum pastoris, patrinus, a catechumeno vel familia electus, oportet his dotibus sit præditus, ut actus liturgicos sibi proprios, de quibus sub n. 9, peragere queat:

1) ab ipso baptizando eiusve parentibus aut ab eo qui eorum locum tenet aut, his deficientibus, a parocho vel ministro sit designatus atque aptitudinem et intentionem habeat hoc munus gerendi;

2) ad hoc munus implendum sit satis maturus, quod præsumitur si decimum sextum ætatis annum expleverit, nisi alia ætas

ab Episcopo diœcesano statuta fuerit vel exceptio iusta de causa parocho aut ministro admittenda videatur;

3) tribus sacramentis Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ sit initiatus, vitamque ducat fidei et muneri suscipiendo congruam;

4) non sit pater aut mater baptizandi;

5) sit unus tantum vel matrina una, vel etiam unus et una;

6) ad Ecclesiam catholicam pertineat, neque ab hoc officio implendo iure prohibeatur. Baptizatus ad communitatem ecclesialem non catholicam pertinens, nonnisi una cum patrino catholico, et quidem ut testis tantum baptismi admittatur.[19bis] Quoad orientales seiunctos, si casus ferat, attendatur ad peculiarem disciplinam pro Ecclesiis orientalibus.

11. Ministri ordinarii Baptismi sunt Episcopi, presbyteri et diaconi.

1) In qualibet celebratione huius sacramenti memores sint se in Ecclesia agere nomine Christi et virtute Spiritus Sancti. Diligentes ergo sint in Dei verbo administrando et mysterio peragendo.

2) Caveant etiam ab omni actione, quæ a fidelibus recte censeri possit acceptio personarum.[20]

3) Excepto casu necessitatis, sine debita licentia, in alieno territorio Baptismum ne conferant, ne suis quidem subditis.

12. Episcopi, quippe qui præcipui dispensatores mysteriorum Dei, sicut et totius vitæ liturgicæ in Ecclesia sibi commissa moderatores;[21] regunt collationem Baptismi, quo regalis sacerdotii Christi participatio conceditur,[22] ne prætermittant, præsertim in Vigilia paschali, Baptismum et ipsi celebrare. Peculiariter eis adultorum Baptismus eorumque præparationis cura commendatur.

13. Pastorum est in instituendis ac baptizandis adultis sibi commissis auxilium afferre Episcopo, nisi hic rem aliter ordinaverit. Eorundem insuper est tum parentes et patrinos parvulorum baptizandorum apto subsidio pastorali præparare et adiuvare, auxiliantibus catechistis aliisque laicis idoneis, tum denique infantibus sacramentum conferre.

[19bis] Cf. C.I.C., cann. 873 et 874 § 1 et § 2.

[20] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 32; Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, n. 29.

[21] Conc. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere, *Christus Dominus*, n. 15.

[22] Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.

14. Ceteri presbyteri necnon diaconi, utpote qui sint ministerii Episcopi et parochorum cooperatores, ad Baptismum præparant eumque, vocante vel assentiente Episcopo aut parocho, conferunt.

15. Celebrans ab aliis presbyteris vel diaconis, necnon a laicis in iis partibus quæ ad eos spectant, præsertim si permulti sunt baptizandi, adiuvari potest, uti in respectivis partibus ritus providetur.

16. Absente sacerdote vel diacono, imminente periculo et præsertim articulo mortis, quilibet fidelis, quin etiam quilibet homo debita intentione motus, potest, immo aliquando debet, Baptismum ministrare. Si vero agitur de solo periculo mortis, sacramentum ministretur, quantum fieri poterit, a fideli, et secundum Ordinem breviorem, de quo infra (nn. 157-164). Præstat vero ut, etiam in hoc casu, congregetur parva communitas; aut saltem habeatur, quantum fieri poterit, unus vel alter testis.

17. Cordi habeant laici omnes, quippe qui membra sint populi sacerdotalis, præsertim autem parentes, et, ratione officii, catechistæ, obstetrices, mulieres operibus assistentiæ familiaris et socialis vel infirmorum curæ addictæ, necnon et medici et chirurgi, probe cognoscere, pro captu suo, rectum baptizandi modum in casu necessitatis. Edoceantur a parochis, diaconis et catechistis, et intra diœcesim provideant Episcopi media apta ad illorum institutionem.

III. De iis quæ ad Baptismum celebrandum requiruntur

18. Aqua Baptismi sit naturalis et munda, tum ad signi veritatem ostendendam, tum sanitatis causa.

19. Fons baptisterii vel vas in quo, pro opportunitate, præparatur aqua ad celebrationem in presbyterio agendam, munditie splendeat atque decore.

20. Provideatur insuper ut, iuxta regionum necessitates, aqua opportune calefieri possit.

21. Extra casum necessitatis ne baptizet sacerdos vel diaconus nisi cum aqua ad hoc benedicta. Si consecratio aquæ in Vigilia paschali facta est, aqua benedicta per totum tempus paschale, quantum fieri poterit, servetur atque adhibeatur ad sacramenti nexum cum mysterio paschali pressius affirmandum. Optandum vero est ut, extra tempus Paschæ, aqua pro singulis celebrationibus benedictione donetur, ut ipsis consecrationis verbis clare significetur salutis myste-

rium, quod Ecclesia recolit atque proclamat. Si baptisterium ita instructum est ut aqua scaturiat, fons scaturiens benedicetur.

22. Tum ritus immersionis, qui aptior est ad participationem mortis et resurrectionis Christi significandam, tum ritus infusionis iure adhiberi possunt.

23. Verba quibus Baptismus in Ecclesia latina confertur, sunt hæc: EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

24. Pro celebratione verbi Dei locus aptus in baptisterio vel in ecclesia præparetur.

25. Baptisterium, seu locus ubi fons baptismalis scaturit vel positus est, sit sacramento Baptismi reservatum et prorsus dignum, ut ibi ex aqua et Spiritu Sancto renascantur christiani. Sive sit in aliqua cappella intra vel extra ecclesiam sita, sive in aliqua parte ecclesiæ in conspectu fidelium, ita instructum sit oportet, ut multorum participationi congruat. Absoluto Paschæ tempore, intra baptisterium cereum paschalem honorifice servari decet, ut ex eo, in Baptismatis celebratione accenso, cerei baptizandorum facile illuminari possint.

26. In celebrando Baptismate ritus, qui extra baptisterium agendi sunt, fient in diversis ecclesiæ locis, quæ opportunius respondeant tum numero adstantium tum variis partibus liturgiæ baptismalis. Pro iis autem partibus, quæ in baptisterio peragi solent, alia etiam loca aptiora in ecclesia seligere licet, si cappella baptisterii omnes catechumenos vel omnes præsentes continere nequit.

27. Pro omnibus nuper natis communis sit, eadem die, quantum fieri potest, Baptismi celebratio. In eadem autem ecclesia eademque die sacramentum bis ne celebretur, nisi iusta de causa.

28. De tempore Baptismi tum adultorum tum parvulorum pressius suo loco dicetur. Ceterum celebratio sacramenti semper præ se ferat indolem paschalem.

29. Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati Baptismi, in libro baptismali sedulo et sine mora referre.

IV. De aptationibus quæ Conferentiis Episcopalibus competunt

30. Conferentiis Episcopalibus competit, vi Constitutionis de sacra Liturgia (art. 63 b), in Ritualibus particularibus parare titulum, qui huic Ritualis Romani titulo respondeat, accommodatum singularum regionum necessitatibus, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.

Qua in re, Conferentiarum Episcopalium erit:

1) Aptationes definire, de quibus in art. 39 Constitutionis de sacra Liturgia.

2) Sedulo et prudenter considerare quid ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune admitti possit; ideoque alias aptationes, quæ utiles vel necessariæ existimantur, Apostolicæ Sedi proponere, de ipsius consensu introducendas.

3) Propria autem Ritualium particularium iam exstantium elementa, si quæ habentur, retinere, dummodo cum Constitutione de sacra Liturgia et necessitatibus hodiernis componi queant, vel ea aptare.

4) Versiones textuum parare, ita ut ingenio variarum linguarum atque culturarum vere sint accommodatæ, additis, quoties opportunum fuerit, melodiis cantui aptis.

5) Prænotanda, quæ in Rituali Romano habentur, aptare et complere, ita ut ministri significationem rituum plene intellegant et effectu compleant.

6) In editionibus librorum liturgicorum cura Conferentiarum Episcopalium parandis, materiam ordinare modo qui ad usum pastoralem aptissimus videatur.

31. Attentis præsertim normis in nn. 37-40 et 65 Constitutionis de sacra Liturgia, in terris Missionum, Conferentiarum Episcopalium est iudicare an elementa initiationis, quæ apud aliquos populos in usu esse reperiuntur, ritui Baptismatis christiani accommodari possint, et decernere an sint in eo admittenda.

32. Quando Rituale Romanum Baptismi plures exhibet formulas ad libitum, Ritualia particularia possunt alias formulas eiusdem generis adicere.

33. Cum Baptismi celebratio plurimum adiumenti a cantu accipiat, sive ad excitandam adstantium unanimitatem, sive ad orationem eorum communem fovendam, sive denique ad paschalem lætitiam manifestandam, qua ritum resonare oportet, studeant Conferentiæ Episcopales peritos musicos incitare et iuvare ut melodiis ornent liturgicos textus, qui digni censentur ut a fidelibus cantentur.

V. De accommodationibus quæ ministro competunt

34. Minister, præ oculis habens adiuncta aliasque necessitates necnon vota fidelium, variis facultatibus in ritu concessis libenter utatur.

35. Præter eas aptationes, quæ in dialogo atque benedictionibus ab ipso Rituali Romano prævidentur, pertinet ad ministrum, attentis diversis rerum adiunctis, aliquas accommodationes inducere, de quibus in Prænotandis ad Baptismum tum adultorum tum parvulorum pressius dicetur.

ORDO BAPTISMI PARVULORUM

PRÆNOTANDA

I. De momento Baptismi parvulorum

1. Nomine parvulorum seu infantium ii intelleguntur qui, cum ad ætatem discretionis nondum pervenerint, fidem propriam profiteri nequeunt.

2. Ecclesia, cui data est missio evangelizandi et baptizandi, iam a primis sæculis, non tantum adultos sed etiam infantes baptizavit. Nam in verbo Domini: « Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in Regnum Dei »,[1] semper intellexit parvulos Baptismate non esse privandos, utpote qui in fide ipsius Ecclesiæ baptizentur, quæ a parentibus et patrinis ceterisque adstantibus proclamatur. Ab his enim repræsentatur tum Ecclesia loci tum universa societas sanctorum atque fidelium: mater Ecclesia, quæ tota omnes, tota singulos parit.[2]

3. Ad veritatem autem sacramenti complendam, oportet ut parvuli postea in illa fide instituantur, in qua baptizati sunt: cuius rei fundamentum erit sacramentum ipsum antea acceptum. Institutio enim christiana, quæ parvulis iure debetur, ad nihil aliud contendit nisi ut paulatim eos adducat ad consilium Dei in Christo ediscendum ut ipsi denique fidem, in qua baptizati sunt, ratam habere queant.

II. De ministeriis et officiis in celebratione Baptismi

4. Populus Dei, hoc est Ecclesia, communitate locali repræsentata, sicut in adultorum, ita in parvulorum Baptismate magnas partes habet.

Infans enim, tum ante tum post celebrationem sacramenti, ius habet ad communitatis dilectionem et adiumentum. Intra ritum autem, præter ea, quæ in n. 7 Prænotandorum generalium a cœtu congregato præstanda enumerata sunt, communitas munus suum exercet, post fidei professionem parentum et patrinorum, assensum suum una cum celebrante proferendo. Hoc modo apparet fidem, in qua baptizantur parvuli, non esse solius familiæ, sed totius Ecclesiæ Christi thesaurum.

[1] Io 3, 5.
[2] S. Augustinus, Epist. 98, 5: PL 33, 362.

5. Ex ipsius creationis ordine, ministerium officiumque parentum in Baptismo infantium potiorem partem super officium patrinorum obtinent.

1) Ante celebrationem sacramenti multum interest ut parentes, vel propria fide ducti, vel amicorum aliorumve membrorum communitatis subsidio adiuti, ad consciam celebrationem se præparent, mediis aptis adhibitis, cuiusmodi sunt libri, epistolæ, catechismi familiis destinati. Parochus autem studeat, per se vel per alios, eos visitare, immo plures simul familias adunare easque pastoralibus monitionibus precationeque communi ad proximam celebrationem præparare.

2) Magni refert, ut parentes parvuli baptizandi celebrationi intersint in qua eorum filius ex aqua et Spiritu Sancto renascetur.

3) Parvuli parentes in celebratione Baptismi partes revera proprias exercent. Præter monitiones enim celebrantis quas audiunt, et orationem quam cum universo cœtu fidelium agunt, verum præstant ministerium, cum a) publice petunt ut baptizetur parvulus; b) eum post celebrantem in fronte signant; c) abrenuntiationem Satanæ et professionem fidei proferunt; d) infantem ad fontem portant (in primis autem mater); e) cereum accensum tenent; f) benedicuntur formulis speciali modo matribus patribusque destinatis.

4) Si quis forte eorum professionem fidei emittere nequeat, ex. gr. quia catholicus non est, tacere potest: ab eo tantum postulatur ut, cum Baptismum parvuli petierit, provideat vel saltem permittat ut hic in fide baptismali instituatur.

5) Post collatum autem Baptismum, parentes, Deo grati susceptoque muneri fideles, parvulum adducere tenentur ad cognoscendum Deum, cuius filius adoptionis factus est, necnon ad Confirmationem suscipiendam et Sanctissimam Eucharistiam participandam præparare. In quo officio iterum a parocho mediis aptis iuventur.

6. Pro unoquoque infante licet admittere patrinum et matrinam: uterque autem in Ordine ipsius ritus sub nomine « patrini » indicatur.

7. Præter ea, quæ in Prænotandis generalibus de ministro ordinario dicta sunt (nn. 11-15), notanda veniunt ea quæ sequuntur:

1) Pastorum est familias ad Baptismum parvulorum præparare easque adiuvare in implendo educationis munere, quod exinde susceperunt. Episcopi autem est pastoralia huiusmodi incepta in sua diœcesi, auxiliantibus etiam diaconis et laicis, coordinare.

2) Pastorum præterea est operam dare ut quævis Baptismi celebratio debita fiat cum dignitate sitque condicionibus et votis familiarum, quantum fieri poterit, accommodata. Quicumque baptizat, ritum accurate religioseque exsequatur; studeat insuper se humanum affabilemque omnibus exhibere.

III. De tempore et loco Baptismi parvulorum

8. Ad tempus conferendi Baptismum quod attinet, ratio habeatur in primis salutis parvuli, ne hic beneficio sacramenti privetur; deinde valetudinis matris, ut, quantum fieri potest, et ipsa adesse possit: demum, dummodo hoc præstantiori bono infantis non obsit, necessitatis pastoralis, idest temporis sufficientis ad præparandos parentes et ad ipsam celebrationem ita congrue ordinandam, ut indoles ritus apte manifestetur.

Itaque:

1) Si parvulus in periculo mortis versatur, sine mora baptizetur, quod licite fit etiam invitis parentibus, etsi agatur de infante parentum non catholicorum. Baptismus tunc confertur modo infra statuto (n. 21).

2) In ceteris casibus parentes, saltem eorum unus aut qui legitime eorundem locum tenet, Baptismo consentire debent. Ad celebrationem sacramenti apte præparandam quamprimum, immo, si casus fert, ante ipsam nativitatem parvuli, de futuro Baptismo parochum commonefaciant.

3) Celebratio Baptismi fiat infra priores hebdomadas post nativitatem parvuli. Si spes fundata eum in religione catholica educatum iri, prorsus deficiat, Baptismus secundum præscripta iuris particularis differatur (cf. n. 25), monitis de ratione parentibus.

4) Parochi est, ratione habita ordinationum Conferentiæ Episcopalis, statuere de tempore quo baptizandi sint parvuli, quando conditiones de quibus supra non adsint.

9. Ad illustrandam Baptismi indolem paschalem, commendatur ut sacramentum in Vigilia paschali celebretur aut die dominica, in qua Ecclesia resurrectionem Domini commemorat. Die autem dominica Baptismus celebrari poterit etiam intra Missam, ut tota communitas ritui interesse queat clariusque necessitudo Baptismi et Sanctissimæ Eucharistiæ eluceat. Quod tamen ne nimis frequenter fiat. Ceterum normæ de Baptismate celebrando in Vigilia paschali aut in Missa dominicali infra proponentur.

10. Quo clarius pateat Baptismum sacramentum esse fidei Ecclesiæ necnon aggregationis ad populum Dei, de more celebretur in ecclesia parœciali, quæ fontem baptismalem habere debet.

11. Ordinarii loci autem est, audito parocho loci, permittere vel iubere ut fons baptismalis habeatur etiam in alia ecclesia vel oratorio intra eiusdem parœciæ fines. Ad parochum de more pertinet etiam in his locis Baptismum celebrare.

Quando vero, propter locorum distantiam aliaque adiuncta, sine

gravi incommodo baptizandus accedere vel transferri nequeat, Baptismus conferri potest et debet in alia propinquiore ecclesia vel oratorio, aut etiam in alio loco decenti, servatis his, quæ statuuntur de tempore et de structura celebrationis (cf. nn. 8-9; 15-22).

12. Præter casum necessitatis Baptismus ne celebretur in domibus privatis, nisi Ordinarius loci gravi de causa id permiserit.

13. In valetudinariis autem, nisi Episcopus aliter statuerit (cf. n. 11), Baptismus ne celebretur, nisi in casu necessitatis vel alia ratione pastorali cogente. Semper tamen caveatur ut parochus commonefiat et opportuna parentum præparatio præmittatur.

14. Dum liturgia verbi celebratur, expedit ut parvuli in locum separatum deferantur. Curandum tamen est ut matres vel matrinæ liturgiam verbi frequentent; parvuli proinde aliis mulieribus committantur.

IV. De structura ritus baptizandi parvulos

A. Ordo Baptismi a ministro ordinario celebrandi

15. Sive de uno, sive de pluribus, sive etiam de multis baptizandis agatur et mortis periculum non immineat, celebrans integrum ritum, prout hic describitur, exsequatur.

16. Incipit ritus parvulorum receptione, in qua parentum patrinorumque voluntas et Ecclesiæ propositum de Baptismi sacramento celebrando significantur, et a parentibus et a celebrante exprimuntur parvulorum signatione in fronte.

17. Sacra verbi Dei celebratio eo spectat ut, ante actionem mysterii, fides parentum patrinorumque et adstantium excitetur, et fructus sacramenti precatione communi impetrentur. Constat autem hæc verbi Dei celebratio lectione unius vel plurium sacræ Scripturæ locorum; homilia, addito tempore silentii; oratione fidelium, concludenda oratione ad modum exorcismi instructa, quæ unctionem cum oleo catechumenorum vel impositionem manus introducit.

18. Sacramenti autem celebratio

1) proxime præparatur:

a) tum celebrantis sollemni oratione quæ, Deum invocando eiusque salutis consilium recolendo, aquam Baptismi vel benedicit vel eius benedictionem commemorat;

b) tum parentum patrinorumque abrenuntiatione Satanæ et fidei professione, cui additur assensus celebrantis et communitatis; et ultima interrogatione parentum et patrinorum;

2) peragitur autem aquæ ablutione, quæ fieri potest per immersionem vel per infusionem, secundum locorum consuetudines, et invocatione Sanctissimæ Trinitatis;

3) completur demum imprimis chrismatis unctione, qua significantur baptizati sacerdotium regale eiusque in populi Dei consortium ascriptio; perficitur deinde ritibus vestis candidæ, cerei accensi et « Effetha » (qui ultimus ad libitum proponitur).

19. Post celebrantis monitionem, ad præsignandam futuram Eucharistiæ participationem, ante altare dicitur oratio dominica, qua filii Dei Patrem qui est in cælis deprecantur. Deinde, ut in omnes gratia Dei redundet, benedicuntur matres et patres necnon omnes adstantes.

B. Ordo brevior Baptismi

20. In Ordine breviore Baptismi pro catechistis [3] fiunt ritus recipiendi parvulos, celebratio verbi Dei, vel monitio ministri, et oratio fidelium. Ante fontem, minister orationem profert ad Deum invocandum et historiam salutis Baptismum respicientem recolendam. Ablutione baptismali peracta, omissa chrismatione, dicitur formula aptata, et universus ritus perficitur conclusione ordinaria. Omittuntur proinde exorcismus et unctio cum oleo catechumenorum, chrismatio et « Effetha ».

21. Ordo autem brevior ad baptizandum parvulum in periculo mortis versantem, absente ministro ordinario, duplicem structuram exhibet:

1) In articulo mortis seu, morte imminente, quando tempus urget, minister,[4] omissis ceteris, aquam, etsi non benedictam, sed naturalem, in caput parvuli infundit, formulam consuetam dicens.[5]

2) Si autem, prudenti iudicio, sufficiens tempus habetur, congregatis nonnullis fidelibus, si quis inter eos capax est dirigendi brevem orationem, adhibeatur sequens ritus: fit monitio ministri et brevis oratio universalis, professio fidei parentum vel unius patrini, infusio aquæ cum verbis consuetis. Si vero præsentes rudiores sunt, minister, postquam alta voce symbolum fidei recitaverit, baptizet secundum ritum in articulo mortis adhibendum.

[3] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 68.
[4] Cf. *Prænotanda generalia*, n. 16.
[5] Cf. *ibid.*, n. 23.

22. Etiam sacerdos et diaconus, urgente periculo mortis, adhibere possunt, pro necessitate, ordinem breviorem. Parochus autem vel alius sacerdos eadem facultate pollens, si præ manibus habeat sanctum chrisma tempusque supersit, ne prætermittat, post Baptismum, conferre Confirmationem, omissa in casu chrismatione postbaptismali.

V. De aptationibus quas Conferentiæ Episcopales et Episcopi facere possunt

23. Præter aptationes in Prænotandis generalibus (nn. 30-33) prævisas, ritus baptizandi infantes alias accommodationes ab Episcopalibus Conferentiis definiendas admittit.

24. Prout in ipso Rituali Romano indicatur, ad placitum illarum Conferentiarum hæc statui possunt:

1) Iuxta locorum consuetudines, interrogatio de nomine parvuli baptizandi diversimode ordinari potest, prout agitur de ipso nomine iam imposito vel in actu Baptismi imponendo.
2) Unctio catechumenorum omitti potest (nn. 50, 87).
3) Formula abrenuntiationis pressior et ditior fieri potest (nn. 57, 94, 121).
4) Si permulti simul baptizantur, unctio chrismatis omitti potest (n. 125).
5) Ritus « Effetha » servari potest (nn. 65, 101).

25. Cum in pluribus regionibus parentes aliquando ad Baptismi celebrationem nondum sint parati, vel etiam petant ut ipsorum baptizentur parvuli, qui postea christiane non educabuntur, immo fidem amittent, neque sufficiat ut in ipso ritu parentes moneantur ac de fide sua interrogentur, Conferentiæ Episcopales, ad iuvandos parochos, ordinationes pastorales edere possunt, quibus longius temporis intervallum statuatur ante sacramenti celebrationem.

26. Ad Episcopum præterea pertinet, pro sua diœcesi, iudicare utrum catechistæ verba post lectiones biblicas ad fideles dirigere possint modo libero an scriptum textum legendo.

VI. De accommodationibus quæ ministro competunt

27. In adunationibus quibus parentes ad Baptismum parvulorum præparantur, magni refert ut instructiones precibus et ritibus fulciantur. Ad hoc uti iuvabit variis elementis, quæ in Ordine Baptismi pro celebratione verbi Dei prævidentur.

28. Cum parvulorum Baptismus intra Vigiliam paschalem celebratur, ritus sic componatur:

1) Ante celebrationem Vigiliæ paschalis, tempore et loco opportuno, fit ritus recipiendi parvulos, cuius in fine, omissa, pro opportunitate, liturgia verbi, habetur oratio exorcismi et unctio cum oleo catechumenorum.

2) Celebratio ipsius sacramenti (nn. 56-58, 60-63) locum habet post benedictionem aquæ, ut in ipso Ordine Vigiliæ paschalis indicatur.

3) Omittitur assensus celebrantis et communitatis (n. 59), traditio cerei accensi (n. 64) et ritus « Effetha » (n. 65).

4) Omittitur conclusio ritus (nn. 67-71).

29. Quoties Baptismus intra Missam dominicalem confertur, dicitur Missa de die aut, dominicis temporis Nativitatis et « per annum », Missa in conferendo Baptismate parvulorum. Celebratio hoc modo ordinatur:

1) Ritus recipiendi parvulum (nn. 33-43) fit initio Missæ, in qua proinde salutatio et actus pænitentialis omittuntur.

2) In liturgia verbi:

a) Lectiones sumuntur e Missa dominicæ. Tempore autem Nativitatis et « per annum » sumi possunt etiam ex iis quæ in Lectionario Missæ (III, pp. 474-489) vel in hoc Ordine (nn. 44, 186-215) proponuntur.

Quando Missa ritualis prohibetur, una e lectionibus sumi potest e textibus pro celebratione Baptismi parvulorum prævisis, attentis bono pastorali fidelium necnon indole diei liturgici.

b) Homilia e textu sacro fiat; rationem autem habeat Baptismi celebrandi.

c) Symbolum non dicitur, eo quod eius locum tenet professio fidei, quæ ab universa communitate fit ante Baptismum.

d) Oratio universalis ex iis quæ habentur in Ordine Baptismi sumitur (nn. 47-48, 217-220). In fine autem, antequam invocentur Sancti, additur deprecatio pro Ecclesia universali et necessitatibus mundi.

3) Celebratio Baptismi prosequitur oratione exorcismi et unctione aliisque ritibus in Ordine descriptis (nn. 49-66).

4) Expleta celebratione Baptismi, Missa continuatur de more cum offertorio.

5) Ad benedictionem in fine Missæ impertiendam, sacerdos adhibere potest unam ex formulis quæ pro ritu Baptismi proponuntur (nn. 70, 247-249).

30. Diebus infra hebdomadam, si Baptismus intra Missam celebratur, ordo est in genere idem ac in dominica; in liturgia tamen verbi lectiones desumere licet ex iis quæ pro ritu Baptismi proponuntur (nn. 44, 186-215).

31. Ad normam eorum quæ in n. 34 Prænotandorum generalium dicuntur, ministri est aliquas accommodationes in ritum inducere, quæ ab ipsis rerum adiunctis postulantur, cuiusmodi sunt:

1) si parvuli mater in partu mortua est, illius rei ratio habeatur in monitione initiali (n. 36), in oratione communi (nn. 47, 217-220) et in benedictione ultima (nn. 70, 247-248);

2) in dialogo cum parentibus (nn. 37-38, 76-77) ratio habeatur responsionis eorum: si non dixerunt Baptísmum, sed Fidem vel Grátiam Christi vel Ingréssum in Ecclésiam vel Vitam ætérnam, non incipiet minister a verbis Baptísmum pro infántibus, sed congruenter: Fidem vel Grátiam Christi, etc.;

3) Ordo ad ecclesiam deferendi infantem iam baptizatum (nn. 165-185), qui pro solo casu parvuli in periculo mortis baptizati instructus est, ad alias etiam necessitates accommodetur, v. g. si parvuli baptizati sunt tempore persecutionis religiosæ vel temporanei dissensus inter parentes.

N. B. 1. Textus Psalmorum, Veteris et Novi Testamenti e « Nova Vulgata » Bibliorum editione deprompti sunt.

2. Textus liturgici, qui pro viro ponuntur, aptari possunt pro muliere, mutato genere, vel pro pluribus, mutato numero.

CAPUT I

ORDO BAPTISMI PRO PLURIBUS PARVULIS

RITUS RECIPIENDI PARVULOS

32. Baptismus celebretur, quantum fieri potest, die dominica, in qua Ecclesia mysterium paschale recolit, et quidem communi celebratione pro omnibus nuper natis, et cum fidelium frequentia, saltem propinquorum, amicorum et vicinorum, eorumque actuosa participatione.

33. Patris et matris est parvulum Ecclesiæ ad Baptismum præsentare, concomitantibus patrinis.

34. Si baptizandi numerosiores sunt et plures adsunt sacerdotes vel diaconi, hi possunt celebrantem adiuvare in iis ritibus perficiendis, qui suis locis indicantur.

35. Fidelibus psalmum vel hymnum aptum pro opportunitate cantantibus, sacerdos vel diaconus celebrans, indutus alba vel superpelliceo et stola, vel etiam pluviali, festivi coloris, cum ministris accedit ad ianuam ecclesiæ, vel ad eam partem ecclesiæ ubi parentes et patrini cum baptizandis sunt congregati.

36. Celebrans salutat præsentes, præsertim vero parentes et patrinos, paucis verbis revocans gaudium quo parentes receperunt infantes tamquam donum Dei, qui est fons omnis vitæ et vult nunc ipsis vitam suam largiri.

37. Celebrans primo parentes uniuscuiusque infantis interrogat:

Quod nomen infánti vestro impónere vultis (vel imposuístis)?

Parentes: N.
Celebrans: Quid pétitis ab Ecclésia Dei pro N.?
Parentes: Baptísmum.

Celebrans aliis verbis, in dialogo, uti potest.

Prima responsio ab alia persona dari potest si, iuxta locorum consuetudines, hæc ius habet imponendi nomen.

In altera responsione, parentes etiam aliis verbis uti possunt: ex. gr. Fidem vel Grátiam Christi vel Ingréssum in Ecclésiam vel Vitam ætérnam.

38. Si baptizandi numerosiores sunt, celebrans omnes parentes simul interrogat de nomine infantium:

Quod nomen infánti vestro impónere vultis (vel imposuístis)?

Unaquæque familia successive respondet. Altera interrogatio omnibus simul in plurali proponi potest.

Celebrans: Quid pétitis ab Ecclésia Dei pro infántibus vestris?
Omnes: Baptísmum.

39. Tunc celebrans his vel similibus verbis parentes alloquitur:

Baptísmum pro infántibus vestris peténtes, estísne cónscii offícii, quod suscípitis, illos in fide educándi, ut, Dei mandáta servántes, Dóminum et próximum suum díligant sicut Christus nos edócuit?

Parentes:

Cónscii sumus.

Quæ responsio a singulis familiis datur; si vero numerosiores sunt parvuli baptizandi, responsio ab omnibus simul proferri potest.

40. Ad patrinos deinde conversus, celebrans his vel similibus verbis quærit:

Estísne paráti ad paréntes horum infántium in suo múnere adiuvándos?

Patrini omnes simul:

Paráti sumus.

41. Deinde celebrans prosequitur dicens:

N. et N. (vel Filíoli), magno gáudio commúnitas christiána vos éxcipit. In cuius nómine ego signo vos signo crucis; et paréntes vestri (patriníque) post me eódem signo Christi Salvatóris vos signábunt.

Et signat unumquemque parvulum in fronte, nihil dicens. Postea invitat parentes et, si opportunum videtur, patrinos, ut idem faciant.

42. Celebrans invitat parentes, patrinos ceterosque adstantes ad celebrationem verbi Dei participandam. Si circumstantiæ id permittunt, fit processio cum cantu, ex. gr. Ps. 84, 7.8.9ab, ad locum prævisum.

43. Baptizandi in locum separatum deferri possunt, usquedum celebratio verbi Dei compleatur.

SACRA VERBI DEI CELEBRATIO

Lectiones biblicæ et homilia

44. Legitur una vel etiam altera e sequentibus pericopis, omnibus sedentibus, si opportunum videtur.

Mt 28, 18-20: « Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Mc 1, 9-11: « Baptizatus Iesus vidit Spiritum descendentem in ipsum ».

Mc 10, 13-16: « Sinite parvulos venire ad me ».

Io 3, 1-6: « Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in Regnum Dei ».

Seligi possunt etiam pericopæ quæ nn. 186-194 et 204-215 reperiuntur, vel aliæ quæ voto aut utilitati parentum congruunt.

Inter lectiones cani possunt psalmi responsorii et versus, qui nn. 195-203 proponuntur.

45. Post lectionem, a celebrante fit brevis homilia, qua illustrantur ea quæ lecta sunt, et præsentes adducuntur ad profundius intellegendum Baptismi mysterium et ad officium alacrius amplectendum, quod ex eo præsertim parentibus et patrinis oritur.

46. Post homiliam, vel post litaniam, vel inter ipsam litaniam, tempus silentii commendatur in quo, invitati a celebrante, omnes in corde suo orant. Sequitur, si casus fert, cantus aptus, ex. gr. inter eos seligendus qui nn. 225-245 recensentur.

Oratio fidelium

47. Deinde fit oratio fidelium:

Celebrans: Fratres caríssimi, pro his párvulis, qui grátiam Baptísmi adeptúri sunt, pro paréntibus eórum atque pa-

trínis, pro ómnibus baptizátis, Dómini nostri Iesu Christi misericórdiam invocémus.

Lector: Ut, fulgénte divíno mystério mortis et resurrectiónis tuæ, hos párvulos per Baptísmum regeneráre et sanctæ Ecclésiæ aggregáre dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eos per Baptísmum et Confirmatiónem fidéles discípulos et Evangélii tui testes effícere dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eos per sanctitátem vitæ ad cæléstis regni gáudia perdúcere dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut paréntes et patrínos lúcidum his párvulis exémplar fídei constitúere dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eórum famílias semper in tua dilectióne custodíre dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut in nobis ómnibus grátiam Baptísmi renováre dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Aliæ formulæ ad libitum, nn. 217-220.

48. Postea celebrans invitat adstantes ad invocandos Sanctos (tunc, si casus ferat, reducuntur parvuli in ecclesiam):

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, ora pro nobis.
Sancti Petre et Paule, oráte pro nobis.

Præstat addere nomina aliorum Sanctorum, eorum præsertim qui sunt patroni parvulorum et ecclesiæ vel loci. Deinde concluditur:

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis.

Oratio exorcismi et unctio præbaptismalis

49. Expletis invocationibus, celebrans dicit:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui Fílium tuum in mundum misísti,
ut Sátanæ, spíritus nequítiæ, a nobis expélleret potestátem
et hóminem, eréptum e ténebris,
in admirábile lucis tuæ regnum transférret:
te súpplices exorámus,
ut hos párvulos, ab originále labe solútos,
tuæ templum perfícias maiestátis,
et Spíritum Sanctum in eis habitáre indúlgeas.
Per Christum Dóminum nostrum.
Omnes: Amen.

Altera formula orationis exorcismi ad libitum, n. 221.

50. Prosequitur celebrans:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
in cuius signum vos óleo linímus salútis,
in eódem Christo Dómino nostro,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
Omnes: Amen.

Singuli baptizandi liniuntur in pectore oleo catechumenorum. Si numerosiores sunt parvuli, plures ministros adhibere licet.

51. Si autem Conferentiæ Episcopali, propter graves rationes, visum fuerit, unctio præbaptismalis omitti poterit. Quo in casu, celebrans dicit semel tantum:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
Omnes: Amen.

Et statim manum imponit super unumquemque infantium, nihil dicens.

52. Deinde, si baptisterium extra ecclesiam vel extra conspectum fidelium positum est, fit processio ad illud.

Si vero in conspectu ipsius congregationis collocatur, celebrans et parentes ac patrini cum parvulis illud adeunt, ceteris suis locis manentibus.

Si baptisterium omnes præsentes continere nequit, Baptismum loco aptiore in ecclesia celebrare licet, accedentibus tempore opportuno parentibus atque patrinis.

Interim, si digne fieri potest, cantatur cantus aptus, ex. gr. Ps. 22.

CELEBRATIO BAPTISMI

53. Cum ad fontem pervenerint, celebrans breviter in mentem adstantium revocat mirabile Dei consilium, qui voluit hominis animam et corpus per aquam sanctificare. Quod his vel similibus verbis facere potest:

Orémus, fratres dilectíssimi, ut Dóminus Deus omnípotens novam ex aqua et Spíritu Sancto vitam párvulis istis largiátur.

Vel:

Scitis, fratres dilectíssimi, quómodo Deus dignátus sit abundántiam vitæ suæ per sacraméntum aquæ credéntibus elargíri. Mentes ígitur nostras ad illum dirigámus et uno corde orémus, ut ex hoc fonte grátiam suam ipsi pláceat in hos eléctos effúndere.

Benedictio et invocatio Dei super aquam

54. Deinde, ad fontem conversus, extra tempus paschale, celebrans profert benedictionem sequentem:

Deus, qui invisíbili poténtia
per sacramentórum signa mirábilem operáris efféctum,
et creatúram aquæ multis modis præparásti,
ut Baptísmi grátiam demonstráret;
Deus, cuius Spíritus
super aquas inter ipsa mundi primórdia ferebátur,
ut iam tunc virtútem sanctificándi aquárum natúra concíperet;
Deus, qui regeneratiónis spéciem
in ipsa dilúvii effusióne signásti,

ut unius eiusdémque eleménti mystério
et finis esset vítiis et orígo virtútum;
Deus, qui Abrahæ fílios
per mare Rubrum sicco vestígio transíre fecísti,
ut plebs, a Pharaónis servitúte liberáta,
pópulum baptizatórum præfiguráret;
Deus, cuius Fílius, in aqua Iordánis a Ioánne baptizátus,
Sancto Spíritu est inúnctus,
et, in cruce pendens,
una cum sánguine aquam de látere suo prodúxit,
ac, post resurrectiónem suam, discípulis iussit:
« Ite, docéte omnes gentes,
baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti »:
Réspice in fáciem Ecclésiæ tuæ,
eíque dignáre fontem Baptísmatis aperíre.
Sumat hæc aqua Unigéniti tui grátiam de Spíritu Sancto,
ut homo, ad imáginem tuam cónditus,
sacraménto Baptísmatis
a cunctis squalóribus vetustátis ablútus,
in novam infántiam
ex aqua et Spíritu Sancto resúrgere mereátur.

Celebrans manu dextera tangit aquam et pergit:

Descéndat, quǽsumus, Dómine, in hanc plenitúdinem fontis
per Fílium tuum virtus Spíritus Sancti,
ut omnes, cum Christo consepúlti per Baptísmum in mortem,
ad vitam cum ipso resúrgant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

Aliæ formulæ ad libitum, nn. 223-224.

55. Tempore paschali, si præsto est aqua baptismalis in Vigilia paschali consecrata, ne desit Baptismo elementum gratiarum actionis et deprecationis, fit benedictio et invocatio Dei super aquam secundum formulas quæ inveniuntur nn. 223-224, ratione habita variationis textus in fine earundem formularum.

Abrenuntiatio et professio fidei

56. Celebrans parentes et patrinos his verbis admonet:

Dilectíssimi paréntes et patríni: per sacraméntum Baptísmi párvuli a vobis obláti novam a caritáte Dei vitam acceptúri sunt ex aqua et Spíritu Sancto. Vos autem ita eos in fide educáre studeátis, ut vita illa divína a peccáti contagióne præservétur atque de die in diem in ipsis possit augéri.

Si ergo, fide vestra ducti, paráti estis ad hoc munus suscipiéndum, Baptísmi vestri mémores, peccáto abrenuntiáte et in Christum Iesum profitémini fidem, quæ est fides Ecclésiæ, in qua párvuli baptizántur.

57. Postea eosdem interrogat:

Abrenuntiátis Sátanæ?
Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Et ómnibus opéribus eius?
Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Et ómnibus pompis eius?
Parentes et patrini: Abrenúntio.

Vel:

Celebrans: Abrenuntiátis peccáto, ut in libertáte filiórum Dei vivátis?
Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Abrenuntiátis seductiónibus iniquitátis, ne peccátum vobis dominétur?
Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Abrenuntiátis Sátanæ, qui est auctor et princeps peccáti?
Parentes et patrini: Abrenúntio.

Si casus fert, hæc altera forma pressius aptari potest a Conferentiis Episcopalibus, præsertim ubi necesse est ut parentes et pa-

trini renuntient superstitionibus, divinationibus et magicis artibus circa infantes exercendis.

58. Deinde celebrans triplicem professionem fidei a parentibus et patrinis exquirit, dicens:

Créditis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Parentes et patrini: Credo.

Celebrans: Créditis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Parentes et patrini: Credo.

Celebrans: Créditis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Parentes et patrini: Credo.

59. Cui professioni una cum communitate assentitur celebrans, dicens:

Hæc est fides nostra. Hæc est fides Ecclésiæ, quam profitéri gloriámur, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Huic formulæ aliam, pro opportunitate, substituere licet. Potest etiam cantus aptus proferri, quo communitas una voce fidem suam exprimit.

Baptismus

60. Celebrans primam familiam invitat, ut accedat ad fontem. Expresso autem nomine infantis, parentes et patrinos interrogat:

Vultis ígitur ut N. in fide Ecclésiæ, quam vobíscum omnes modo foféssi sumus, Baptísmum recípiat?

Parentes et patrini: Vólumus.

Et statim celebrans baptizat infantem, dicens:

N., ego te baptízo in nómine Patris,

immergit infantem vel infundit aquam primo

et Fílii,

immergit illum vel infundit aquam secundo

et Spíritus Sancti.

immergit illum vel infundit aquam tertio.

Similiter interrogat et facit pro singulis baptizandis.

Post Baptismum uniuscuiusque infantis opportune profertur brevis acclamatio populi (cf. nn. 225-245).

Si Baptismus celebratur per infusionem, præstat infantem a matre (vel a patre) portari; attamen, ubi mos hucusque vigens retinendus esse videtur, infans a matrina (vel a patrino) sustineri potest. Ab iisdem e sacro fonte levatur, si Baptismus fit per immersionem.

61. Si baptizandi numerosiores sunt, et plures adsunt sacerdotes vel diaconi, singuli eorum possunt aliquos parvulos baptizare, servatis modo et formula supra descriptis.

RITUS EXPLANATIVI

Unctio post Baptismum

62. Deinde celebrans dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui vos a peccáto liberávit et regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, ipse vos linit chrísmate salútis, ut, eius aggregáti pópulo, Christi sacerdótis, prophétæ et regis membra permaneátis in vitam ætérnam.
Omnes: Amen.

Postea celebrans singulos baptizatos sacro chrismate in vertice capitis linit, nihil dicens.

Si baptizati numerosiores sunt et plures adsunt sacerdotes vel diaconi, singuli eorum possunt aliquos infantes chrismate linire.

Impositio vestis candidæ

63. Celebrans dicit:

(N. et N.,) nova creatúra facti estis et Christum induístis. Vestis hæc cándida sit vobis signum dignitátis, quam, vestrórum verbo et exémplo propinquórum adiúti, immaculátam perferátis in vitam ætérnam.
Omnes: Amen.

Et singulis imponitur vestis alba; alius color non admittitur, nisi consuetudine locali postuletur. Optandum est ut familiæ ipsæ vestem illam præbeant.

Traditio cerei accensi

64. Postea celebrans accipit cereum paschalem et dicit:

Lumen Christi accípite.

Unus ex singulis familiis (ex. gr. pater vel patrinus) e cereo paschali cereum uniuscuiusque infantis accendit.

Postea celebrans dicit:

Vobis, paréntibus et patrínis, lumen hoc concréditur fovéndum, ut párvuli vestri, a Christo illumináti, tamquam fílii lucis indesinénter ámbulent et, in fide perseverántes, adveniénti Dómino occúrrere váleant cum ómnibus Sanctis in aula cælésti.

« Effetha »

65. Si Conferentiæ Episcopali visum fuerit illum servare, fit ritus « Effetha ». Celebrans pollice aures et os uniuscuiusque infantis tangit, dicens:

Dóminus Iesus, qui surdos fecit audíre et mutos loqui, det tibi ut mox possis áuribus accípere verbum eius et profitéri fidem in laudem et glóriam Dei Patris.
Omnes: Amen.

66. Si numerosiores sunt infantes, celebrans formulam semel dicit in plurali, omisso tactu aurium et oris.

CONCLUSIO RITUS

67. Postea, nisi Baptismus in ipso presbyterio locum habuerit, fit processio ad altare, in qua baptizatorum cerei accensi portantur.

Optandum est ut interim proferatur canticum baptismale, ex. gr.:

Qui baptizáti estis in Christo,
Christum induístis
allelúia, allelúia.

Alia cantica ad libitum, nn. 225-245.

Oratio dominica

68. Celebrans, stans ante altare, parentes et patrinos necnon omnes adstantes alloquitur his vel similibus verbis:

Fratres dilectíssimi: párvuli isti, qui, per Baptísmum regeneráti, fílii Dei nominántur et sunt, plenitúdinem Spíritus Sancti per Confirmatiónem recípient et, ad altáre Dómini accedéntes, partícipes fient mensæ sacrifícii eius ac Deum in médio Ecclésiæ Patrem vocábunt. Nunc nómine eórum, in spíritu adoptiónis filiórum, quem omnes accépimus, simul orémus uti Dóminus nos dócuit oráre.

69. Et omnes simul cum celebrante dicunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Benedictio et dimissio

70. Deinde celebrans benedicit matres, parvulos suos in brachiis tenentes, patres et omnes adstantes, dicens:

Dóminus Deus omnípotens, qui per Fílium suum natum ex María Vírgine christiánas lætíficat matres ætérnæ spe vitæ, quæ suis affúlget infántibus, dignétur matres horum benedícere parvulórum, ut, quæ de sóbole grátias nunc agunt accépta, perpétuo cum ipsa in gratiárum máneant actióne, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Dóminus Deus omnípotens, qui vitam terrénam largítur et cæléstem, patres horum infántium benedícat, ut, una cum suis coniúgibus, verbo et exémplo fíliis prióres se fídei testes exhíbeant, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Dóminus Deus omnípotens, qui nos ex aqua et Spíritu Sancto in vitam regenerávit ætérnam, hos fidéles suos muníficus benedícat, ut semper et ubíque vívida sint membra pópuli sui, et pacem suam ómnibus hic præséntibus largiátur, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes: Amen.

Celebrans: Ite in pace.

Omnes: Deo grátias.

Aliæ formulæ benedictionis ad libitum, nn. 247-249.

71. Post benedictionem pro opportunitate cantatur ab omnibus canticum congruum, gaudium paschale et gratiarum actionem exprimens, vel cantus beatæ Mariæ Virginis Magníficat.

Ubi infantes baptizati ad altare beatæ Mariæ Virginis deferri solent, hæc consuetudo opportune servatur.

CAPUT II

ORDO BAPTISMI PRO UNO PARVULO

RITUS RECIPIENDI PARVULUM

72. Baptismus celebretur, quantum fieri potest, die dominica, in qua Ecclesia mysterium paschale recolit, cum fidelium frequentia, saltem propinquorum, amicorum et vicinorum, eorumque actuosa participatione.

73. Patris et matris est parvulum Ecclesiæ ad Baptismum præsentare, concomitante patrino.

74. Fidelibus psalmum vel hymnum aptum pro opportunitate cantantibus, sacerdos vel diaconus celebrans, indutus alba vel superpelliceo et stola, vel etiam pluviali, festivi coloris, cum ministris accedit ad ianuam ecclesiæ, vel ad eam partem ecclesiæ ubi parentes et patrinus cum infante sunt congregati.

75. Celebrans salutat præsentes, præsertim vero parentes et patrinum, paucis verbis revocans gaudium quo parentes receperunt infantem tamquam donum Dei, qui est fons omnis vitæ et vult nunc ipsi vitam suam largiri.

76. Celebrans primo parentes interrogat:

Quod nomen infánti vestro impónere vultis (vel imposuístis)?

Parentes: N.

Celebrans: Quid pétitis ab Ecclésia Dei pro N.?
Parentes: Baptísmum.

Celebrans aliis verbis, in dialogo, uti potest.

Prima responsio ab alia persona dari potest si, iuxta locorum consuetudines, hæc ius habet imponendi nomen.
In altera responsione, parentes etiam aliis verbis uti possunt: ex. gr. Fidem vel Grátiam Christi vel Ingréssum in Ecclésiam vel Vitam ætérnam.

77. Tunc celebrans his vel similibus verbis parentes alloquitur:

Baptísmum pro infánte vestro petėntes, estísne cónscii offícii, quod suscípitis, illum in fide educándi, ut, Dei mandáta servans, Dóminum et próximum suum díligat sicut Christus nos edócuit?

Parentes: Cónscii sumus.

78. Ad patrinum deinde conversus, celebrans his vel similibus verbis quærit:

Esne parátus ad paréntes huius infántis in suo múnere adiuvándos?

Patrinus: Parátus sum.

79. Deinde celebrans prosequitur, dicens:

N., magno gáudio commúnitas christiána te éxcipit. In cuius nómine ego signo te signo crucis; et paréntes tui (patrinúsque vel et matrína) post me eódem signo Christi Salvatóris te signábunt.

Et signat parvulum in fronte, nihil dicens; postea invitat parentes et, si opportunum videtur, patrinum (matrinam), ut idem faciant.

80. Celebrans invitat parentes, patrinum ceterosque adstantes ad celebrationem verbi Dei participandam. Si circumstantiæ id permittant, fit processio cum cantu, ex. gr. Ps 84, 7. 8. 9 ab, ad locum prævisum.

SACRA VERBI DEI CELEBRATIO

Lectiones biblicæ et homilia

81. Legitur una vel etiam altera e sequentibus pericopis, omnibus sedentibus, si opportunum videtur.

Mt 28, 18-20: « Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Mc 1, 9-11: « Baptizatus Iesus vidit Spiritum descendentem in ipsum ».

Mc 10, 13-16: « Sinite parvulos venire ad me ».

Io 3, 1-6: « Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in Regnum Dei ».

Seligi possunt etiam pericopæ quæ nn. 186-194 et 204-215 reperiuntur, vel aliæ quæ voto aut utilitati parentum congruunt.

Inter lectiones cani possunt psalmi responsorii qui nn. 195-203 proponuntur.

82. Post lectionem, a celebrante fit brevis homilia, qua illustrantur ea quæ lecta sunt, et præsentes adducuntur ad profundius intellegendum Baptismi mysterium et ad officium alacrius amplectendum, quod ex eo præsertim parentibus et patrinis oritur.

83. Post homiliam, vel post litaniam, vel inter ipsam litaniam, tempus silentii commendatur in quo, invitati a celebrante, omnes in corde suo orant. Sequitur, si casus fert, cantus aptus, ex. gr. inter eos seligendus qui nn. 225-245 recensentur.

Oratio fidelium

84. Deinde fit oratio fidelium:

Celebrans: Fratres caríssimi, pro hoc párvulo, qui grátiam Baptísmi adeptúrus est, pro paréntibus eius atque patrínis, pro ómnibus baptizátis, Dómini nostri Iesu Christi misericórdiam invocémus.

Lector: Ut, fulgénte divíno mystério mortis et resurrectiónis tuæ, hunc párvulum per Baptísmum regeneráre et sanctæ Ecclésiæ aggregáre dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eum per Baptísmum et Confirmatiónem fidélem discípulum et Evangélii tui testem effícere dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eum per sanctitátem vitæ ad cæléstis regni gáudia perdúcere dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut paréntes et patrínos lúcidum huic párvulo exémplar fídei constitúere dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eius famíliam semper in tua dilectióne custodíre dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut in nobis ómnibus grátiam Baptísmi renováre dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Aliæ formulæ ad libitum, nn. 217-220.

85. Postea celebrans invitat adstantes ad invocandos Sanctos:

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, ora pro nobis.
Sancti Petre et Paule, oráte pro nobis.

Præstat addere nomina aliorum Sanctorum, eorum præsertim qui sunt patroni infantis et ecclesiæ vel loci. Deinde concluditur:

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis.

Oratio exorcismi et unctio præbaptismalis

86. Expletis invocationibus, celebrans dicit:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui Fílium tuum in mundum misísti,
ut Sátanæ, spíritus nequítiæ, a nobis expélleret potestátem,
et hóminem, eréptum e ténebris,
in admirábile lucis tuæ regnum transférret:
te súpplices exorámus,
ut hunc párvulum,
ab origináli labe solútum,
tuæ templum perfícias maiestátis,
et Spíritum Sanctum in eo habitáre indúlgeas.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

Altera formula orationis exorcismi ad libitum, n. 221.

87. Prosequitur celebrans:

Múniat te virtus Christi Salvatóris,
in cuius signum te óleo linímus salútis,
in eódem Christo Dómino nostro,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Omnes: Amen.

Celebrans infantem linit in pectore oleo catechumenorum.

88. Si autem Conferentiæ Episcopali, propter graves rationes, visum fuerit, unctio præbaptismalis omitti poterit. Quo in casu, celebrans dicit:

Múniat te virtus Christi Salvatóris,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Omnes: Amen.

Et statim manum imponit super infantem, nihil dicens.

89. Deinde accedunt ad baptisterium vel, pro opportunitate, ad presbyterium, si ibi Baptismus celebratur.

CELEBRATIO BAPTISMI

90. Cum ad fontem pervenerint, celebrans breviter in mentem adstantium revocat mirabile Dei consilium, qui voluit hominis animam et corpus per aquam sanctificare. Quod his vel similibus verbis facere potest:

Orémus, fratres dilectíssimi, ut Dóminus Deus omnípotens novam ex aqua et Spíritu Sancto vitam huic párvulo largiátur.

Vel:

Scitis, fratres dilectíssimi, quómodo Deus dignátus sit abundántiam vitæ suæ per sacraméntum aquæ credéntibus elargíri. Mentes ígitur nostras ad illum dirigámus et uno corde orémus, ut ex hoc fonte grátiam suam ipsi pláceat in hunc eléctum effúndere.

Benedictio et invocatio Dei super aquam

91. Deinde, ad fontem conversus, extra tempus paschale, celebrans profert benedictionem sequentem:

Deus, qui invisíbili poténtia
per sacramentórum signa mirábilem operáris effe̍ctum,
et creatúram aquæ multis modis præparásti,
ut Baptísmi grátiam demonstráret;
Deus, cuius Spíritus
super aquas inter ipsa mundi primórdia ferebátur,
ut iam tunc virtútem sanctificándi aquárum natúra concíperet;
Deus, qui regeneratiónis spéciem
in ipsa dilúvii effusióne signásti,
ut uníus eiusdémque eleménti mystério
et finis esset vítiis et orígo virtútum;
Deus, qui Abrahæ fílios
per mare Rubrum sicco vestígio transíre fecísti,
ut plebs, a Pharaónis servitúte liberáta,
pópulum baptizatórum præfiguráret;
Deus, cuius Fílius, in aqua Iordánis a Ioánne baptizátus,
Sancto Spíritu est inúnctus,
et, in cruce pendens,
una cum sánguine aquam de látere suo prodúxit,
ac, post resurrectiónem suam, discípulis iussit:
« Ite, docéte omnes gentes,
baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti »:
Réspice in fáciem Ecclésiæ tuæ,
eíque dignáre fontem Baptísmatis aperíre.
Sumat hæc aqua Unigéniti tui grátiam de Spíritu Sancto,
ut homo, ad imáginem tuam cónditus,
sacraménto Baptísmatis
a cunctis squalóribus vetustátis ablútus,
in novam infántiam
ex aqua et Spíritu Sancto resúrgere mereátur.

Celebrans manu dextera tangit aquam et pergit:

Descéndat, quǽsumus, Dómine, in hanc plenitúdinem fontis per Fílium tuum virtus Spíritus Sancti,
ut omnes, cum Christo consepúlti per Baptísmum in mortem, ad vitam cum ipso resúrgant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

Aliæ formulæ ad libitum, nn. 223-224.

92. Tempore paschali, si præsto est aqua baptismalis in Vigilia paschali consecrata, ne desit Baptismo elementum gratiarum actionis et deprecationis, fit benedictio et invocatio Dei super aquam secundum formulas quæ inveniuntur nn. 223-224, ratione habita variationis textus in fine earundem formularum.

Abrenuntiatio et professio fidei

93. Celebrans parentes et patrinos his verbis admonet:

Dilectíssimi paréntes et patríni: per sacraméntum Baptísmi párvulus a vobis oblátus novam a caritáte Dei vitam acceptúrus est ex aqua et Spíritu Sancto. Vos autem ita eum in fide educáre studeátis, ut vita illa divína a peccáti contagióne præservétur atque de die in diem in ipso possit augéri.

Si ergo, fide vestra ducti, paráti estis ad hoc munus suscipiéndum, Baptísmi vestri mémores, peccáto abrenuntiáte et in Christum Iesum profitémini fidem, quæ est fides Ecclésiæ, in qua párvuli baptizántur.

94. Postea eosdem interrogat:

Abrenuntiátis Sátanæ?
Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Et ómnibus opéribus eius?
Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Et ómnibus pompis eius?
Parentes et patrini: Abrenúntio.

Vel:

Celebrans: Abrenuntiátis peccáto, ut in libertáte filiórum Dei vivátis?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Abrenuntiátis seductiónibus iniquitátis, ne peccátum vobis dominétur?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Abrenuntiátis Sátanæ, qui est auctor et princeps peccáti?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Si casus fert, hæc altera forma pressius aptari potest a Conferentiis Episcopalibus, præsertim ubi necesse est ut parentes et patrini renuntient superstitionibus, divinationibus et magicis artibus circa infantes exercendis.

95. Deinde celebrans triplicem professionem fidei a parentibus et patrinis exquirit, dicens:

Créditis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Parentes et patrini: Credo.

Celebrans: Créditis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Parentes et patrini: Credo.

Celebrans: Créditis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Parentes et patrini: Credo.

96. Cui professioni una cum communitate assentitur celebrans, dicens:

Hæc est fides nostra. Hæc est fides Ecclésiæ, quam profitéri gloriámur, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Huic formulæ aliam, pro opportunitate, substituere licet. Potest etiam cantus aptus proferri, quo communitas una voce fidem suam exprimit.

Baptismus

97. Celebrans familiam invitat, ut accedat ad fontem. Expresso autem nomine infantis, parentes et patrinos interrogat:

Vultis ígitur ut N. in fide Ecclésiæ, quam vobíscum omnes modo proféssi sumus, Baptísmum recípiat?

Parentes et patrini: Vólumus.

Et statim celebrans baptizat infantem, dicens:

N., ego te baptízo in nómine Patris,

immergit infantem vel infundit aquam primo

et Fílii,

immergit illum vel infundit aquam secundo

et Spíritus Sancti.

immergit illum vel infundit aquam tertio.

Post Baptismum infantis opportune profertur brevis acclamatio populi (cf. nn. 225-245).

Si Baptismus celebratur per infusionem, præstat infantem a matre (vel a patre) portari; attamen, ubi mos hucusque vigens retinendus esse videtur, infans a matrina (vel a patrino) sustineri potest. Ab iisdem e sacro fonte levatur, si Baptismus fit per immersionem.

RITUS EXPLANATIVI

Unctio post Baptismum

98. Deinde celebrans dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui te a peccáto liberávit et regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, ipse te linit chrísmate salútis, ut, eius aggregátus pópulo, Christi sacerdótis, prophétæ et regis membrum permáneas in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

Postea celebrans infantem sacro chrismate in vertice capitis linit, nihil dicens.

Impositio vestis candidæ

99. Celebrans dicit:

N., nova creatúra factus es et Christum induísti. Vestis hæc cándida sit tibi signum dignitátis, quam, tuórum verbo et exémplo propinquórum adiútus, immaculátam pérferas in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

Et imponitur infanti vestis alba; alius color non admittitur, nisi consuetudine locali postuletur. Optandum est ut familiæ ipsæ vestem illam præbeant.

Traditio cerei accensi

100. Postea celebrans accipit cereum paschalem et dicit:

Lumen Christi accípite.

Unus (ex. gr. pater vel patrinus) e cereo paschali cereum infantis accendit.

Postea celebrans dicit:

Vobis, paréntibus et patríno (vel patrínis), lumen hoc concréditur fovéndum, ut párvulus iste, a Christo illuminátus, tamquam fílius lucis indesinénter ámbulet et, in fide persevérans, adveniénti Dómino occúrrere váleat cum ómnibus Sanctis in aula cælésti.

« Effetha »

101. Si Conferentiæ Episcopali visum fuerit illum servare, fit ritus « Effetha ». Celebrans pollice aures et os infantis tangit, dicens:

Dóminus Iesus, qui surdos fecit audíre et mutos loqui, det tibi ut mox possis áuribus accípere verbum eius et profitéri fidem in laudem et glóriam Dei Patris.

Omnes: Amen.

CONCLUSIO RITUS

102. Postea, nisi Baptismus in ipso presbyterio locum habuerit, fit processio ad altare, in qua baptizati cereus accensus portatur.

Optandum est ut interim proferatur canticum baptismale, ex. gr.:

Qui baptizáti estis in Christo,
Christum induístis,
allelúia, allelúia.

Alia cantica ad libitum, nn. 225-245.

Oratio dominica

103. Celebrans, stans ante altare, parentes et patrinos necnon omnes adstantes alloquitur his vel similibus verbis:

Fratres dilectíssimi: párvulus iste, qui, per Baptísmum regenerátus, fílius Dei nominátur et est, plenitúdinem Spíritus Sancti per Confirmatiónem recípiet et, ad altáre Dómini accédens, párticeps fiet mensæ sacrifícii eius ac Deum in médio Ecclésiæ Patrem vocábit. Nunc nómine eius, in spíritu adoptiónis filiórum, quem omnes accépimus, simul orémus uti Dóminus nos dócuit oráre.

104. Et omnes simul cum celebrante dicunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Benedictio et dimissio

105. Deinde celebrans benedicit matrem, infantem suum in brachiis tenentem, patrem et omnes adstantes, dicens:

Dóminus Deus omnípotens, qui per Fílium suum natum ex María Vírgine christiánas lætíficat matres ætérnæ spe vitæ, quæ suis affúlget infántibus, dignétur matrem huius benedícere infántis, ut, quæ de sóbole grátias nunc agit accépta, perpétuo cum ipsa in gratiárum máneat actióne, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Dóminus Deus omnípotens, qui vitam terrénam largítur et cæléstem, patrem huius infántis benedícat, ut, una cum cóniuge sua, verbo et exémplo proli priórem se fídei testem exhíbeat, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Dóminus Deus omnípotens, qui nos ex aqua et Spíritu Sancto in vitam regenerávit ætérnam, hos fidéles suos munífícus benedícat, ut semper et ubíque vívida sint membra pópuli sui, et pacem suam ómnibus hic præséntibus largiátur, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes: Amen.

Celebrans: Ite in pace.

Omnes: Deo grátias.

Aliæ formulæ benedictionis ad libitum, nn. 247-249.

106. Post benedictionem pro opportunitate cantatur ab omnibus canticum congruum, gaudium paschale et gratiarum actionem exprimens, vel cantus beatæ Mariæ Virginis Magníficat.

Ubi infans baptizatus ad altare beatæ Mariæ Virginis deferri solet, hæc consuetudo opportune servatur.

CAPUT III

ORDO BAPTISMI PRO MAGNO NUMERO PARVULORUM

RITUS RECIPIENDI PARVULOS

107. Fidelibus psalmum vel hymnum aptum pro opportunitate cantantibus, sacerdos vel diaconus celebrans, indutus alba vel superpelliceo et stola, vel etiam pluviali, festivi coloris, cum ministris accedit ad ianuam ecclesiæ, vel ad eam partem ecclesiæ ubi parentes et patrini cum baptizandis sunt congregati.

108. Celebrans salutat præsentes, præsertim vero parentes et patrinos, paucis verbis revocans gaudium quo parentes receperunt infantes tamquam donum Dei, qui est fons omnis vitæ et vult nunc ipsis vitam suam largiri.

Deinde parentes et patrinos simul interrogat:

Quod nomen infántibus vestris impónere vultis (vel imposuístis)?

Singulæ familiæ respondent successive, proferentes nomen parvulorum.

Celebrans: Quid pro ipsis pétitis ab Ecclésia Dei?

Familiæ omnes simul: Baptísmum.

Si autem maximo numero sunt baptizandi, omissa prima interrogatione, celebrans statim petit:

Paréntes et patríni, qui hic cum infántibus adstátis, quid pro ipsis pétitis ab Ecclésia Dei?

Familiæ omnes simul: Baptísmum.

109. Tunc celebrans primo parentes alloquitur:

Vos, paréntes, Baptísmum pro infántibus vestris peténtes, estísne cónscii offícii, quod suscípitis, illos in fide educándi, ut, Dei mandáta servántes, Dóminum et próximum suum díligant sicut Christus nos edócuit?

Parentes omnes simul: Cónscii sumus.

110. Ad omnes patrinos deinde conversus, celebrans quærit:

Et vos, patríni, estísne paráti ad paréntes horum infántium in suo múnere adiuvándos?

Patrini omnes simul: Paráti sumus.

111. Celebrans prosequitur dicens:

Filíoli, magno gáudio commúnitas christiána vos éxcipit. In cuius nómine ego signo vos signo crucis.

Producit signum crucis super omnes infantes simul, et ait:

Et vos, paréntes (vel patríni), infántes in fronte signáte signo Christi Salvatóris.

Tunc parentes (vel patrini) signant parvulos in fronte.

SACRA VERBI DEI CELEBRATIO

Lectio et homilia

112. Celebrans invitat parentes et patrinos ceterosque adstantes ad celebrationem verbi Dei participandam. Leguntur versiculi 18-20 e cap. 28 Evangelii secundum Matthæum, de missione Apostolorum ad evangelizandum et baptizandum. Seligi possunt etiam aliæ pericopæ, quæ nn. 44 vel 186-194 et 204-215 recensentur.

113. Post lectionem, fit a celebrante brevis homilia, qua illustrantur ea quæ lecta sunt, et præsentes adducuntur ad profundius intellegendum Baptismi mysterium et ad officium alacrius amplectendum, quod ex eo præsertim parentibus et patrinis oritur.

Oratio fidelium

114. Deinde fit oratio fidelium:

Celebrans: Fratres caríssimi, pro his párvulis, qui grátiam Baptísmi adeptúri sunt, pro paréntibus eórum atque patrínis, pro ómnibus baptizátis, Dómini nostri Iesu Christi misericórdiam invocémus.

Lector: Ut, fulgénte divíno mystério mortis et resurrectiónis tuæ, hos párvulos per Baptísmum regeneráre et sanctæ Ecclésiæ aggregáre dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eos per Baptísmum et Confirmatiónem fidéles discípulos et Evangélii tui testes effícere dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eos per sanctitátem vitæ ad cæléstis regni gáudia perdúcere dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut paréntes et patrínos lúcidum his párvulis exémplar fídei constitúere dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eórum famílias semper in tua dilectióne custodíre dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut in nobis ómnibus grátiam Baptísmi renováre dignéris:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Aliæ formulæ ad libitum, nn. 217-220.

Invocatio Sanctorum (cf. n. 48) omitti potest.

Oratio exorcismi

115. Oratio fidelium concluditur oratione exorcismi:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui Fílium tuum in mundum misísti,
ut Sátanæ, spíritus nequítiæ, a nobis expélleret potestátem
et hóminem, eréptum e ténebris,
in admirábile lucis tuæ regnum transférret:
te súpplices exorámus,
ut hos párvulos, ab origináli labe solútos,
tuæ templum perfícias maiestátis,
et Spíritum Sanctum in eis habitáre indúlgeas.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

Altera formula orationis exorcismi ad libitum, n. 221.

Et celebrans, omissa, propter numerum baptizandorum, unctione cum oleo catechumenorum, imponit manus super omnes infantes simul, dicens:

Múniat vos virtus Christi Salvatóris,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Omnes: Amen.

116. Deinde accedunt ad locum in quo Baptismus celebratur.

CELEBRATIO BAPTISMI

Benedictio et invocatio Dei super aquam

117. Stans ad fontem, celebrans breviter in mentem adstantium revocat mirabile Dei consilium, qui voluit hominis animam et corpus per aquam sanctificare. Quod his vel similibus verbis facere potest:

Deus vitam suam per sacraméntum aquæ largítur credéntibus. Fidem ergo nostram intendámus, unanímiter illum orántes, ut ex aqua et Spíritu Sancto párvuli isti renascántur.

118. Deinde, ad fontem conversus, celebrans profert sequentem benedictionem:

Clementíssime Pater, qui de Baptísmatis fonte novam filiórum tuórum vitam in nobis scaturíre fecísti.

Omnes: Benedíctus Deus (vel alia apta acclamatio populi).

Celebrans: Qui ex aqua et Spíritu Sancto in unum pópulum omnes baptizátos in Fílio tuo Iesu Christo coadunáre dignáris.

Omnes: Benedíctus Deus.

Celebrans: Qui caritátis tuæ Spíritu, quem córdibus infúndis, nos líberas, ut tua pace fruámur.

Omnes: Benedíctus Deus.

Celebrans: Qui baptizátos éligis, ut in ómnibus géntibus Evangélium Christi tui lætánter annúntient.

Omnes: Benedíctus Deus.

Celebrans: * Hanc aquam benedícere ✠ nunc dignáre, qua baptizándi sunt fámuli tui et fámulæ tuæ, quos ad lavácrum regeneratiónis in fide Ecclésiæ vocásti, ut hábeant vitam ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

---

119. * Quando vero, tempore paschali, præsto est aqua baptismalis iam benedicta, celebrans omittit ultimam partem benedictionis præcedentis Hanc aquam benedícere et sic absolvit:

Huius aquæ benedíctæ mystério, ad spiritálem regeneratiónem introdúcere dignáre fámulos tuos et fámulas tuas, quos ad hoc lavácrum in fide Ecclésiæ vocásti, ut hábeant vitam ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

Aliæ formulæ ad libitum, nn. 223-224.

Abrenuntiatio et professio fidei

120. Celebrans admonet parentes et patrinos his verbis:

Dilectíssimi paréntes et patríni: per sacraméntum Baptísmi párvuli a vobis obláti novam a caritáte Dei vitam acceptúri sunt ex aqua et Spíritu Sancto. Vos autem ita eos in fide educáre studeátis, ut vita illa divína a peccáti contagióne præservétur atque de die in diem in ipsis possit augéri.

Si ergo, fide vestra ducti, paráti estis ad hoc munus suscipiéndum, Baptísmi vestri mémores, peccáto abrenuntiáte et in Christum Iesum profitémini fidem, quæ est fides Ecclésiæ, in qua párvuli baptizántur.

121. Postea eosdem interrogat:

Abrenuntiátis Sátanæ?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Et ómnibus opéribus eius?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Et ómnibus pompis eius?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Vel:

Celebrans: Abrenuntiátis peccáto, ut in libertáte filiórum Dei vivátis?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Abrenuntiátis seductiónibus iniquitátis, ne peccátum vobis dominétur?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Celebrans: Abrenuntiátis Sátanæ, qui est auctor et princeps peccáti?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Si casus fert, hæc altera forma pressius aptari potest a Conferentiis Episcopalibus, præsertim ubi necesse est ut parentes et patrini renuntient superstitionibus, divinationibus et magicis artibus circa infantes exercendis.

122. Deinde celebrans triplicem professionem fidei a parentibus et patrinis exquirit, dicens:

Créditis in Deus Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Parentes et patrini: Credo.

Celebrans: Créditis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Parentes et patrini: Credo.

Celebrans: Créditis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?
Parentes et patrini: Credo.

123. Cui professioni una cum communitate assentitur celebrans, dicens:

Hæc est fides nostra. Hæc est fides Ecclésiæ, quam profitéri gloriámur, in Christo Iesu Dómino nostro.
Omnes: Amen.

Huic formulæ aliam, pro opportunitate, substituere licet. Potest etiam cantus aptus proferri, quo communitas una voce fidem suam exprimit.

Baptismus

124. Cum ratione numeri baptizandorum sint plures ministri, unusquisque eorum, expresso nomine baptizandi, interrogat parentes et patrinos dicens:

Vultis ígitur ut N. in fide Ecclésiæ, quam vobíscum omnes modo proféssi sumus, Baptísmum recípiat?

Parentes et patrini: Vólumus.

Et statim minister baptizat infantem, dicens:

N., ego te baptízo in nómine Patris,

immergit infantem vel infundit aquam primo

et Fílii,

immergit illum vel infundit aquam secundo

et Spíritus Sancti.

immergit illum vel infundit aquam tertio.

Si Baptismus celebratur per infusionem, præstat infantem a matre (vel a patre) portari; attamen, ubi mos hucusque vigens retinendus esse videtur, infans a matrina (vel a patrino) sustineri potest. Ab iisdem e sacro fonte levatur, si Baptismus fit per immersionem.

Dum parvuli baptizantur, communitas potest acclamationes vel cantus (cf. nn. 225-245) proferre. Possunt etiam lectiones fieri, vel sacrum silentium servari.

RITUS EXPLANATIVI

Unctio post Baptismum

125. Deinde celebrans principalis dicit formulam unctionis semel pro omnibus:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui vos a peccáto liberávit et regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, ipse vos linit chrísmate salútis, ut, eius aggregáti pópulo, Christi sacerdótis, prophétæ et regis membra permaneátis in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

Tunc ministri sacro chrismate liniunt in vertice capitis singulos baptizatos, nihil dicentes.

Si autem numerus eorum permagnus est, de iudicio Conferentiæ Episcopalis, chrismatio omitti potest. Quo in casu, dicitur semel pro omnibus formula hoc modo aptata:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui vos a peccáto liberávit et regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, vobis largiátur, ut, christiáni nunc effécti et pópulo elécto aggregáti, Christi sacerdótis, prophétæ et regis membra permaneátis in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

Impositio vestis candidæ

126. Celebrans principalis dicit:

Filíoli, nova creatúra facti estis et Christum induístis. Vestis hæc cándida sit vobis signum dignitátis, quam, vestrórum verbo et exémplo propinquórum adiúti, immaculátam perferátis in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

Et singulis imponitur vestis alba; alius color non admittitur, nisi consuetudine locali postuletur. Optandum est ut familiæ ipsæ vestem illam præbeant.

Traditio cerei accensi

127. Postea celebrans principalis cereum paschalem accipit et dicit:

Lumen Christi accípite. Concréditur enim vobis fovéndum, paréntibus et patrínis, ut párvuli isti, a Christo illumináti, tamquam fílii lucis indesinénter ámbulent et, in fide perseverántes, adveniénti Dómino occúrrere váleant cum ómnibus Sanctis in aula cælésti.

Singulis familiis distribuuntur cerei, qui accenduntur a flamma cerei paschalis, cuius ignis ab uno patrefamilias acceptus ad omnes communicatur. Interim a communitate fiunt cantica baptismalia, ex. gr.:

Qui baptizáti estis in Christo,
Christum induístis,
allelúia, allelúia.

Alia cantica ad libitum, nn. 225-245.

Interim, nisi Baptismus in ipso presbyterio locum habuerit, ordinatur processio ad altare, in qua baptizatorum cerei accensi portantur.

CONCLUSIO RITUS

Oratio dominica

128. Celebrans, stans ante altare, parentes et patrinos necnon omnes adstantes his vel similibus verbis alloquitur:

Fratres dilectíssimi: párvuli isti, qui, per Baptísmum regeneráti, fílii Dei nominántur et sunt, plenitúdinem Spíritus Sancti per Confirmatiónem recípient et, ad altáre Dómini accedéntes, partícipes fient mensæ sacrifícii eius ac Deum in médio Ecclésiæ Patrem vocábunt. Nunc nómine eórum, in spíritu adoptiónis filiórum, quem omnes accépimus, simul orémus uti Dóminus nos dócuit oráre.

129.

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Benedictio et dimissio

130. Celebrans benedicit et dimittit adstantes, dicens:

Fratres, miseratiónibus et grátiæ Dei Patris omnipoténtis, Fílii eius unigéniti et Sancti Spíritus vos commendámus. Ipse custódiat vitam vestram, ut, in lúmine fídei ambulántes, ad promíssa bona perveniátis, et nos vobíscum.

Omnes: Amen.

Celebrans: Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes: Amen.

Celebrans: Ite in pace.

Omnes: Deo grátias.

Aliæ formulæ benedictionis ad libitum, nn. 70, 247-248.

131. Post benedictionem pro opportunitate cantatur ab omnibus canticum congruum, gaudium paschale et gratiarum actionem exprimens, vel cantus beatæ Mariæ Virginis Magníficat.

CAPUT IV

ORDO BAPTISMI PARVULORUM ABSENTE SACERDOTE ET DIACONO A CATECHISTIS ADHIBENDUS

RITUS RECIPIENDI PARVULOS

132. Fidelibus psalmum vel hymnum aptum pro opportunitate cantantibus, catechista cum ministris accedit ad ianuam ecclesiæ, vel ad eam partem ecclesiæ ubi parentes et patrini cum baptizandis sunt congregati.

Si baptizandi numerosiores sunt, catechista potest ab aliis adiuvari in ablutione baptismali peragenda, prout suo loco notatur.

133. Catechista salutat præsentes, præsertim vero parentes et patrinos, paucis verbis revocans gaudium quo parentes receperunt infantes tamquam donum Dei, qui est fons omnis vitæ et vult nunc ipsis vitam suam largiri.

Deinde parentes et patrinos simul his vel similibus verbis interrogat:

Quod nomen infántibus vestris datis (vel dedístis)?

Singulæ familiæ respondent successive, proferentes nomen parvulorum.

Catechista: Quid pro ipsis pétitis ab Ecclésia Dei?

Familiæ omnes simul: Baptísmum.

Si autem numerosiores sunt baptizandi, omissa prima interrogatione, catechista statim petit:

Paréntes et patríni, qui hic cum infántibus adstátis, quid pro ipsis pétitis ab Ecclésia Dei?

Familiæ omnes simul: Baptísmum.

---

134. Tunc catechista primo parentes alloquitur:

Vos, paréntes, Baptísmum pro infántibus vestris peténtes, estísne cónscii offícii, quod suscípitis, illos in fide educándi, ut, Dei mandáta servántes, Dóminum et próximum suum díligant sicut Christus nos edócuit?

Parentes omnes simul: Cónscii sumus.

135. Ad omnes patrinos deinde conversus, catechista quærit:

Et vos, patríni, estísne paráti ad paréntes horum infántium in suo múnere adiuvándos?

Patrini omnes simul: Paráti sumus.

136. Catechista prosequitur dicens:

Filíoli, magno gáudio commúnitas christiána vos éxcipit. In cuius nómine ego signo vos signo crucis.

Producit signum crucis super omnes infantes simul, et ait:

Et vos, paréntes (vel patríni), infántes in fronte signáte signo Christi Salvatóris.

Tunc parentes (vel patrini) signant parvulos in fronte.

SACRA VERBI DEI CELEBRATIO

Lectio et homilia vel monitio

137. Catechista invitat parentes et patrinos ceterosque adstantes ad celebrationem verbi Dei participandam. Leguntur versiculi 18-20 e cap. 28 Evangelii secundum Matthæum, de missione Apostolorum ad evangelizandum et baptizandum, vel pericopæ, quæ nn. **186-194** et **204-215** recensentur. Psalmi et cantus, si fiunt, sub nn. **195-203** inveniuntur. Post lectionem fieri potest a catechista brevis homilia, ratione ab Episcopo determinata.

138. Loco lectionis biblicæ et homiliæ, de quibus supra, catechista, pro necessitate, potest etiam hanc monitionem proferre:

Baptísmum, quo Christus párvulis istis óbviam véniet, ipse Ecclésiæ suæ concrédidit, Apóstolos his verbis mittens: « Eúntes, docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti ». In tanto sacraménto, infántes, a peccáto liberáti, membra Ecclésiæ filiíque Dei effécti, innúmeris munéribus, uti vobis notum est, donabúntur. Quæ, cum sint homínibus prorsus impérvia, a cœtu nostro supplíciter in fide peténda sunt. Et Pater noster, Deus, in hac commúni prece vocem Christi áudiens Ecclesiǽque fidem agnóscens, nunc in virtúte Spíritus Sancti sui his diléctis largiétur quod Fílii sui advéntu promísit.

Oratio fidelium

139. Deinde fit oratio fidelium:

Catechista: Fratres caríssimi, pro his párvulis, qui grátiam Baptísmi adeptúri sunt, pro paréntibus eórum atque patrínis, pro ómnibus baptizátis, Dómini nostri Iesu Christi misericórdiam invocémus.

Lector: Ut, fulgénte divíno mystério mortis et resurrectiónis tuæ, hos párvulos per Baptísmum regeneráre et sanctæ Ecclésiæ aggregáre dignéris:
Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eos per Baptísmum et Confirmatiónem fidéles discípulos et Evangélii tui testes effícere dignéris:
Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eos per sanctitátem vitæ ad cæléstis regni gáudia perdúcere dignéris:
Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut paréntes et patrínos lúcidum his párvulis exémplar fídei constitúere dignéris:
Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut eórum famílias semper in tua dilectióne custodíre dignéris:
Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut in nobis ómnibus grátiam Baptísmi renováre dignéris:
Omnes: Te rogámus, audi nos.

Aliæ formulæ ad libitum, nn. 217-220.

140. Postea catechista invitat adstantes ad invocandos Sanctos:

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, ora pro nobis.
Sancti Petre et Paule, oráte pro nobis.

Præstat addere nomina aliorum Sanctorum, eorum præsertim qui sunt patroni parvulorum et ecclesiæ vel loci. Deinde concluditur:

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis.

140 bis. Omittitur oratio exorcismi et unctio præbaptismalis cum oleo catechumenorum.

CELEBRATIO BAPTISMI

Benedictio et invocatio Dei super aquam

141. Catechista cum parentibus et patrinis, infantes baptizandos portantibus, accedit ad fontem baptismalem.

Præsentes deinde his verbis ad orandum invitat:

Orémus, fratres dilectíssimi, ut Dóminus Deus omnípotens novam ex aqua et Spíritu Sancto vitam párvulis istis largiátur.

142. Si præsto non est aqua benedicta, catechista, stans ante fontem, hanc invocationem profert:

Clementíssime Pater, qui de Baptísmatis fonte novam filiórum tuórum vitam in nobis scaturíre fecísti.

Omnes: Benedíctus Deus (vel alia apta acclamatio populi).

Catechista: Qui ex aqua et Spíritu Sancto in unum pópulum omnes baptizátos in Fílio tuo Iesu Christo coadunáre dignáris.

Omnes: Benedíctus Deus.

Catechista: Qui caritátis tuæ Spíritu, quem córdibus infúndis, nos líberas, ut tua pace fruámur.

Omnes: Benedíctus Deus.

Catechista: Qui baptizátos éligis, ut in ómnibus géntibus Evangélium Christi tui lætánter annúntient.

Omnes: Benedíctus Deus.

Catechista: Hanc aquam benedícere nunc dignáre, qua baptizándi sunt fámuli tui et fámulæ tuæ, quos ad lavácrum

regeneratiónis in fide Ecclésiæ vocásti, ut hábeant vitam ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

143. Si vero præsto est aqua iam benedicta, sequentem invocationem dicit:

Fons omnis vitæ et dilectiónis, Deus,
Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui in gáudiis glorificáris angoribúsque paréntum;
qui in parvulórum ortu novitátem tuórum mirabílium præfigúras,
et ineffábilem in Fílio tuo fecunditátem
in ætérna illórum regeneratióne revélas:
supplicatióni horum paréntum Ecclesiǽque adésto propítius
hosque párvulos tua ampléctere caritáte:
ne eos detinéri sub peccáti dicióne permíttas,
sed, quóniam a te sunt, in regnum Fílii tui miserátus assúme;
et præsta, ut, operánte Spíritus Sancti virtúte,
ex aqua, quam creatúris ad puritátem et vitam refrigeriúmque parásti
et ad supérnam hóminum nativitátem
per Baptísmum Christi sanctificáre dignátus es, infántes isti,
in passiónis et resurrectiónis Christi tui mystério baptizáti,
filiórum adoptiónem et Ecclésiæ partem ássequi váleant,
et in perpétuum tua societáte gaudére
cum Fílio tuo et Spíritu Sancto
in sǽcula sæculórum.

Omnes: Amen.

Abrenuntiatio et professio fidei

144. Catechista admonet parentes et patrinos his verbis:

Dilectíssimi paréntes et patríni: per sacraméntum Baptísmi párvuli a vobis obláti novam a caritáte Dei vitam acceptúri sunt ex aqua et Spíritu Sancto. Vos autem ita eos

in fide educáre studeátis, ut vita illa divína a peccáti contagióne præservétur atque de die in diem in ipsis possit augéri.

Si ergo, fide vestra ducti, paráti estis ad hoc munus suscipiéndum, Baptísmi vestri mémores, peccáto abrenuntiáte et in Christum Iesum profitémini fidem, quæ est fides Ecclésiæ, in qua párvuli baptizántur.

145. Postea eosdem interrogat:

Abrenuntiátis Sátanæ?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Catechista: Et ómnibus opéribus eius?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Catechista: Et ómnibus pompis eius?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Vel:

Catechista: Abrenuntiátis peccáto, ut in libertáte filiórum Dei vivátis?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Catechista: Abrenuntiátis seductiónibus iniquitátis, ne peccátum vobis dominétur?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Catechista: Abrenuntiátis Sátanæ, qui est auctor et princeps peccáti?

Parentes et patrini: Abrenúntio.

Si casus fert, hæc altera forma pressius aptari potest a Conferentiis Episcopalibus, præsertim ubi necesse est ut parentes et patrini renuntient superstitionibus, divinationibus et magicis artibus circa infantes exercendis.

146. Deinde catechista triplicem professionem fidei a parentibus et patrinis exquirit, dicens:

Créditis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Parentes et patrini: Credo.

Catechista: Créditis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Parentes et patrini: Credo.

Catechista: Créditis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Parentes et patrini: Credo.

147. Cui professioni una cum communitate assentitur catechista, dicens:

Hæc est fides nostra. Hæc est fides Ecclésiæ, quam profitéri gloriámur, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Huic formulæ aliam, pro opportunitate, substituere licet. Potest etiam cantus aptus proferri, quo communitas una voce fidem suam exprimit.

Baptismus

148. Catechista primam familiam invitat, ut accedat ad fontem. Expresso autem nomine infantis, parentes et patrinos interrogat:

Vultis ígitur ut N. in fide Ecclésiæ, quam vobíscum omnes modo caféssi sumus, Baptísmum recípiat?

Parentes et patrini: Vólumus.

Et statim minister baptizat infantem, dicens:

N., ego te baptízo in nómine Patris,

immergit infantem vel infundit aquam prímo

et Fílii,

immergit illum vel infundit aquam secundo

et Spíritus Sancti.

immergit illum vel infundit aquam tertio.

Si Baptismus celebratur per infusionem, præstat infantem a matre (vel a patre) portari; attamen, ubi mos hucusque vigens retinendus esse videtur, infans a matrina (vel a patrino) sustineri potest. Ab iisdem a sacro fonte levatur, si Baptismus fit per immersionem.

149. Si propter numerum baptizandorum, plures adsunt catechistæ, singuli eorum possunt aliquos parvulos baptizare, servatis modo et formula supra descriptis (n. 148).

150. Dum parvuli baptizantur, communitas potest acclamationes vel cantus (cf. nn. 225-245) proferre. Possunt etiam lectiones fieri, vel sacrum silentium servari.

RITUS EXPLANATIVI

151. Unctio sacri chrismatis omittitur. Catechista tamen semel pro omnibus baptizatis dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui vos a peccáto liberávit et regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, vobis largiátur, ut, christiáni nunc effécti et pópulo elécto aggregáti, Christi sacerdótis, prophétæ et regis membra permaneátis in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

Impositio vestis candidæ

152. Catechista dicit:

Filíoli, nova creatúra facti estis et Christum induístis. Vestis hæc cándida sit vobis signum dignitátis, quam, vestrórum verbo et exémplo propinquórum adiúti, immaculátam perferátis in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

Et singulis imponitur vestis alba; alius color non admittitur, nisi consuetudine locali postuletur. Optandum est ut familiæ ipsæ vestem illam præbeant.

Traditio cerei accensi

153. Postea catechista cereum paschalem accipit et dicit:

Lumen Christi accípite. Concréditur enim vobis fovéndum, paréntibus et patrínis, ut párvuli isti, a Christo illumináti, tamquam fílii lucis indesinénter ámbulent et, in fide perseverántes, adveniénti Dómino occúrrere váleant cum ómnibus Sanctis in aula cæléсti.

Singulis familiis distribuuntur cerei, qui accenduntur a flamma cerei paschalis, cuius ignis ab uno patrefamilias acceptus ad omnes communicatur. Interim a communitate fiunt cantica baptismalia, ex. gr.:

Qui baptizáti estis in Christo,
Christum induístis,
allelúia, allelúia.

Alia cantica ad libitum, nn. 225-245.

Interim, nisi Baptismus in ipso presbyterio locum habuerit, ordinatur processio ad altare, in qua baptizatorum cerei accensi portantur.

CONCLUSIO RITUS

Oratio dominica

154. Catechista, stans ante altare, parentes et patrinos necnon omnes adstantes his vel similibus verbis alloquitur:

Fratres dilectíssimi: párvuli isti, qui, per Baptísmum regeneráti, fílii Dei nominántur et sunt, plenitúdinem Spíritus Sancti per Confirmatiónem recípient et, ad altáre Dómini accedéntes, partícipes fient mensæ sacrifícii eius ac Deum in médio Ecclésiæ Patrem vocábunt. Nunc nómine eórum, in spíritu adoptiónis filiórum, quem omnes accépimus, simul orémus uti Dóminus nos dócuit oráre.

155. Et omnes simul dicunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Benedictio et dimissio

156. Catechista invocat benedictionem Dei et dimittit adstantes, dicens:

Fratres, miseratiónibus et grátiæ Dei Patris omnipoténtis, Fílii eius unigéniti et Sancti Spíritus vos commendámus. Ipse custódiat vitam vestram, ut, in lúmine fídei ambulántes, ad promíssa bona perveniátis, et nos vobíscum.

Omnes: Amen.

Catechista: Ite in pace.

Omnes: Deo grátias.

156 bis. Post benedictionem pro opportunitate cantatur ab omnibus canticum congruum, gaudium paschale et gratiarum actionem exprimens, vel cantus beatæ Mariæ Virginis Magníficat.

CAPUT V

ORDO BAPTISMI PARVULORUM IN PERICULO VEL IN ARTICULO MORTIS, ABSENTE SACERDOTE ET DIACONO, ADHIBENDUS

157. Præparata aqua, etsi non benedicta, et congregatis circa parvulum ægrotantem parentibus, patrinis et, si fieri potest, aliquibus etiam propinquis et amicis, minister seu aliquis fidelis aptus incipit brevem orationem fidelium:

Pro hoc párvulo, qui grátiam Baptísmi adeptúrus est, pro paréntibus eius atque patrínis et pro ómnibus baptizátis, Dei omnipoténtis misericórdiam invocémus.

Ut per Baptísmum hunc párvulum Ecclésiæ tuæ aggregáre dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut per Baptísmum adoptiónem filiórum illi tribúere dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut illum, cum Christo per Baptísmum consepúltum in mortem, simul et resurrectiónis eius partícipem effícere dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut in ómnibus hic adstántibus grátiam Baptísmi renováre dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos:

Ut omnes Christi discípuli, in unum corpus baptizáti, in una semper fide et caritáte conserváre dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

158. Oratio fidelium concluditur precatione sequenti:

Fons omnis vitæ et dilectiónis, Deus,
Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui, sollicitúdinem súblevans paréntum

parvulorúmque perículis prospíciens,
consílium tuæ caritátis in ætérna illórum regeneratióne revélas,
supplicatióni nostræ adésto propítius:
ne hunc infántem detinéri
sub peccáti dicióne permíttas,
sed illum in regnum Fílii tui miserátus assúme.
Præsta ígitur ut ex aqua,
operánte Spíritus Sancti virtúte,
ille, cui nomen N. impónimus,
mortis Christi tui mystério confórmis efféctus
et resurrectióni eius configurátus,
fílius adoptiónis constituátur
hereditatémque Christi obtíneat
et, in Ecclésia, societáte tua gáudeat
cum Fílio tuo unigénito et Spíritu Sancto
per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

159. Fit deinde professio fidei. Minister præsentes invitat his verbis:

Baptísmi nostri mémores, fidem in Iesum Christum profiteámur, quæ est fides Ecclésiæ, in qua párvuli baptizántur.

Et deinde interrogat:

Créditis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?
℟. Credo.

Créditis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?
℟. Credo.

Créditis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?
℟. Credo.

Professio fidei fieri potest, pro opportunitate, etiam symboli recitatione:

Credo in Deum, Patrem omnipoténtem,
Creatórem cæli et terræ.
Et in Iesum Christum, Fílium eius únicum,
Dóminum nostrum:
qui concéptus est de Spíritu Sancto,
natus ex María Vírgine,
passus sub Póntio Piláto,
crucifíxus, mórtuus et sepúltus;
descéndit ad ínferos;
tértia die resurréxit a mórtuis;
ascéndit ad cælos,
sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis;
inde ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos.
Credo in Spíritum Sanctum,
sanctam Ecclésiam cathólicam,
Sanctórum communiónem,
remissiónem peccatórum,
carnis resurrectiónem,
vitam ætérnam. Amen.

160. Deinde minister infantem baptizat, dicens:

N., ego te baptízo in nómine Patris,
infundit aquam primo
et Fílii,
infundit aquam secundo
et Spíritus Sancti.
infundit aquam tertio.

161. Omissis ceteris ritibus, fieri potest impositio vestis candidæ. Minister dicit:

N., nova creatúra factus es et Christum induísti. Vestis hæc cándida sit tibi signum dignitátis, quam immaculátam pérferas in vitam ætérnam.

℟. Amen.

162. Celebratio concluditur recitatione orationis dominicæ:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

163. Si inter præsentes nullus adsit, qui capax sit dirigendi orationem, quilibet fidelis baptizare potest recitando symbolum fidei et postea aquam fundendo super baptizandum cum verbis consuetis (cf. supra, n. 160). Attamen etiam recitatio symboli fidei, pro opportunitate, omitti potest.

164. In articulo mortis, omissis ceteris ritibus, sufficit ut minister aquam infundat super infantem, verba consueta dicens (cf. supra, n. 160). Expedit ut minister, quantum fieri potest, unum vel etiam alterum testem adhibeat.

CAPUT VI

ORDO DEFERENDI AD ECCLESIAM PARVULUM IAM BAPTIZATUM

RITUS RECIPIENDI PARVULUM

165. Fidelibus psalmum vel hymnum aptum pro opportunitate cantantibus, sacerdos vel diaconus celebrans, indutus alba vel superpelliceo et stola, vel etiam pluviali, festivi coloris, cum ministris accedit ad ianuam ecclesiæ, vel ad eam partem ecclesiæ ubi parentes et patrinus cum infante sunt congregati.

166. Celebrans salutat præsentes, imprimis parentes et patrinum eosque de Baptismo sine mora collato laudat, et Deo gratias agit parentibusque gratulatur de restituta infantis sanitate.

167. Celebrans primo parentes interrogat:

Quod nomen infánti vestro dedístis?

Parentes: N.

Celebrans: Quid nunc pétitis ab Ecclésia Dei pro N., cum iam baptizátus sit?

Parentes: Ut coram communitáte patefíat eum in Ecclésiam recéptum esse.

Prima responsio ab alia persona dari potest si, iuxta locorum consuetudines, hæc ius habet imponendi nomen.

In altera responsione, parentes etiam aliis verbis uti possunt: ex. gr. Eum esse christiánum, vel Eum fuísse baptizátum, etc.

168. Tunc celebrans his vel similibus verbis parentes alloquitur:

Párvulum ad ecclésiam nunc afferéntes, estísne cónscii offícii, quod erga baptizátum suscepístis, illum in fide educándi, ut, Dei mandáta servans, Dóminum et próximum suum díligat sicut Christus nos edócuit?

Parentes: Cónscii sumus.

169. Ad patrinum deinde conversus, celebrans his vel similibus verbis quærit:

Tu autem, patríne, esne parátus ad paréntes huius infántis in suo múnere adiuvándos?

Patrinus: Parátus sum.

170. Deinde celebrans prosequitur, dicens:

N., magno gáudio commúnitas christiána, cum paréntibus tuis grátias agens, te éxcipit testificatúrque te iam ab Ecclésia fuísse recéptum. In cuius nómine ego signo te signo Christi, qui tibi in Baptísmate vitam largítus est et Ecclésiæ suæ te iam aggregávit. Et paréntes tui (patrinúsque vel et matrína) post me eódem signo crucis te signábunt.

Et signat infantem in fronte, nihil dicens; postea invitat parentes et, si opportunum videtur, patrinum, ut idem faciant.

171. Celebrans invitat deinde parentes, patrinum ceterosque adstantes ad celebrationem verbi Dei participandam. Si circumstantiæ id permittunt, fit processio cum cantu, ex. gr. Ps. 84, 7. 8. 9ab, ad locum prævisum.

SACRA VERBI DEI CELEBRATIO

Lectiones biblicæ et homilia

172. Legitur una vel etiam altera e sequentibus pericopis, omnibus sedentibus, si opportunum videtur.

Mt 28, 18-20: « Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Mc 1, 9-11: « Baptizatus Iesus vidit Spiritum descendentem in ipsum ».

Mc 10, 13-16: « Sinite parvulos venire ad me ».

Io 3, 1-6: « Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in Regnum Dei ».

Seligi possunt etiam pericopæ quæ nn. 186-194 et 204-215 reperiuntur, vel aliæ, quæ voto aut utilitati parentum congruunt (ex. gr. 1 Reg 17, 17-24; 2 Reg 4, 8-37).

Inter lectiones cani possunt psalmi responsorii et versus qui nn. 195-203 proponuntur.

173. Post lectionem, a celebrante fit brevis homilia, qua illustrantur ea quæ lecta sunt, et præsentes adducuntur ad profundius intellegendum Baptismi mysterium et ad officium alacrius amplectendum, quod ex eo præsertim parentibus et patrinis oritur.

174. Post homiliam, vel post litaniam, vel inter ipsam litaniam, tempus silentii commendatur, in quo, invitati a celebrante, omnes in corde suo orant. Sequitur, si casus fert, cantus aptus, inter eos seligendus qui nn. 225-245 inveniuntur.

Oratio fidelium

175. Deinde fit oratio fidelium:

Celebrans: Pro hoc párvulo, pro paréntibus eius et patríno (matrína), omnibúsque baptizátis Christum misericórdem et benígnum deprecémur.

Lector: Ut Baptísmi accépti sanitatísque restitútæ Deo mémorem se osténdat:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut Ecclésiæ sanctæ tuæ vívidum membrum permáneat:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut Evangélium tuum audíre, serváre et testificári queat:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut ad mensam sacrifícii tui lætánter pervéniat:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut Dóminum Deum et próximum suum, sicut docuísti, díligat:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut, verbis et exémplis christianórum edóctus, in sanctitáte et sapiéntia crescat:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

Lector: Ut discípuli tui omnes in una semper fide et caritáte vivant:

Omnes: Te rogámus, audi nos.

176. Postea celebrans invitat adstantes ad invocandos Sanctos:

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis.
Sancte Ioánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, ora pro nobis.
Sancti Petre et Paule, oráte pro nobis.

Præstat addere nomina aliorum Sanctorum, eorum præsertim qui sunt patroni infantis et ecclesiæ vel loci. Deinde concluditur:

Omnes Sancti et Sanctæ Dei, oráte pro nobis.

177. Expletis invocationibus, celebrans dicit:

Fons omnis vitæ et dilectiónis, Deus,
Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui in sollicitudínibus paréntum te gloríficas,
in perículis infántium providéntem te maniféstas
et in Baptísmate illórum te salvántem revélas:
pro fámulo tuo N. Ecclésia, grátias agens,
te óbsecrat,
ut, quem e regno tenebrárum in admirábile lumen
tuum transtulísti,
fílium adoptiónis templúmque Spíritus Sancti
sacraménto Baptísmi constituísti,
in perículis huius vitæ semper ádiuves
et in certámine ad capesséndum regnum tuum
virtúte Christi Salvatóris semper múnias.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

RITUS EXPLANATIVI

Unctio post Baptismum

178. Deinde celebrans dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui te a peccáto liberávit et regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, ipse te linit chrísmate salútis, ut, eius aggregátus pópulo,

Christi sacerdótis, prophétæ et regis membrum ostendáris permaneásque in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

Et infantem sacro chrismate in vertice capitis linit, nihil dicens.

Impositio vestis candidæ

179. Celebrans dicit:

N., nova creatúra factus es et Christum induísti. Vestis hæc cándida sit tibi signum dignitátis, quam, tuórum verbo et exémplo propinquórum adiútus, immaculátam pérferas in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

Traditio cerei accensi

180. Postea celebrans accipit cereum paschalem et dicit:

Lumen Christi accípite.

Unus (ex. gr. pater vel patrinus) e cereo paschali cereum infantis accendit.

Postea celebrans dicit:

Vobis, paréntibus et patrínis, lumen hoc concréditur fovéndum, ut párvulus iste, a Christo illuminátus, tamquam fílius lucis indesinénter ámbulet et, in fide persevérans, adveniénti Dómino occúrrere váleat cum ómnibus Sanctis in aula cæléstï.

Pro opportunitate, profertur canticum baptismale Qui baptizáti estis in Christo (n. 36) vel aliud ex iis quæ nn. 225-245 inveniuntur.

CONCLUSIO RITUS

Oratio dominica

181. Celebrans, stans ante altare, parentes et patrinos necnon omnes adstantes alloquitur his vel similibus verbis:

Fratres dilectíssimi: párvulus iste qui, per Baptísmum regenerátus, fílius Dei nominátur et est, plenitúdinem Spíritus Sancti per Confirmatiónem recípiet et, ad altáre Dómini accédens, párticeps fiet mensæ sacrifícii eius ac Deum in médio Ecclésiæ Patrem vocábit. Nunc nómine eius, in spíritu adoptiónis filiórum, quem omnes accépimus, simul orémus uti Dóminus nos dócuit oráre.

182. Deinde omnes adstantes una cum celebrante dicunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Benedictio et dimissio

183. Celebrans benedicit matrem, infantem in brachiis tenentem, patrem et omnes adstantes, dicens:

Dóminus Deus omnípotens, qui per Fílium suum natum ex María Vírgine christiánas lætíficat matres ætérnæ spe vitæ, quæ suis affúlget infántibus, dignétur matrem huius benedícere infántis, ut, quæ de sóbole grátias nunc agit accépta et sanáta, perpétuo cum ipsa in gratiárum máneat actióne, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Dóminus Deus omnípotens, qui vitam terrénam largítur et cæléstem, patrem huius infántis benedícat, ut, una cum cóniuge sua, verbo et exémplo proli priórem se fídei testem exhíbeat, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Dóminus Deus omnípotens, qui nos ex aqua et Spíritu Sancto in vitam regenerávit ætérnam, hos fidéles suos muníficus benedícat, ut semper et ubíque vívida sint membra pópuli sui; et pacem suam ómnibus hic præséntibus largiátur, in Christo Iesu Dómino nostro.

Omnes: Amen.

Celebrans: Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes: Amen.

Celebrans: Ite in pace.

Omnes: Deo grátias.

Aliæ formulæ benedictionis ad libitum, nn. 247-249.

184. Post benedictionem pro opportunitate cantatur ab omnibus canticum congruum, gaudium paschale et gratiarum actionem exprimens, vel cantus beatæ Mariæ Virginis Magníficat.

Ubi adest consuetudo deferendi infantem ad altare beatæ Mariæ Virginis, opportune servatur.

185. Ordo superius descriptus servatur etiam cum infans baptizatus defertur ad ecclesiam post alias difficultates (ex. gr. persecutionem, discordias inter parentes, etc.), quæ celebrationem Baptismi in ecclesia prohibuerant. His in casibus, est celebrantis ad condicionem infantis accommodare monitiones, lectiones, intentiones orationis fidelium, etc.

CAPUT VII

TEXTUS VARII
IN CELEBRATIONE BAPTISMI PARVULORUM ADHIBENDI

I. LECTIONES BIBLICÆ

Lectiones e Vetere Testamento

186. Ex 17, 3-7: « Da nobis aquam, ut bibamus ».
In diebus illis: Sitivit populus præ aquæ penuria ...

187. Ez 36, 24-28: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris ».
Hæc dicit Dominus: Tollam vos de gentibus ...

188. Ez 47, 1-9. 12: « Vidi aquam egredientem de templo, et omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt ».
In diebus illis: Convertit me angelus ad portam domus Domini, et ecce aquæ ...

Lectiones e Novo Testamento

189. Rom 6, 3-5: « Consepulti cum illo per baptismum in mortem, in novitate vitæ ambulemus ».
Fratres: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu ...

190. Rom 8, 28-32: « Conformes fieri imaginis Filii eius ».
Fratres: Scimus quoniam diligentibus Deum ...

191. 1 Cor 12, 12-13: « In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus ».
Fratres: Sicut corpus unum est ...

192. Gal 3, 26-28: « Quicumque baptizati estis, Christum induistis ».
Fratres: Omnes filii Dei estis ...

193. Eph 4, 1-6: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma ».
Fratres: Obsecro vos ego, vinctus in Domino ...

194. 1 Petr 2, 4-5. 9-10: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium ».
Carissimi: Ad Christum accedentes ...

Psalmi responsorii

195. Ps 22, 1-3 4. 5. 6.
℟. (1): Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.

196. Ps 26, 1. 4. 8 b-9 abc. 13-14.
℟. (1 a): Dominus illuminatio mea et salus mea.
vel (Eph 5, 14): Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit tibi Christus.

197. Ps 33, 2-3. 6-7. 8-9. 14-15. 16-17.
℟. (6 a): Respicite ad eum, et illuminamini.
vel (9 a): Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.

Alleluia et Versus ante Evangelium

198. Io 3, 16: Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum Unigenitum daret; omnis qui credit in eum habet vitam æternam.

199. Io 8, 12: Ego sum lux mundi, dicit Dominus;
qui sequitur me habebit lucem vitæ.

200. Io 14, 6: Ego sum via et veritas et vita, dicit Dominus;
nemo venit ad Patrem nisi per me.

201. Eph 4, 5-6: Unus Dominus, una fides, unum baptisma;
unus Deus et Pater omnium.

202. Cf. 2 Tim 1, 10: Salvator noster Iesus Christus
destruxit mortem et illuminavit vitam per Evangelium.

203. 1 Petr 2, 9: Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta; virtutes annuntiate eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

Evangelia

204. Mt 22, 35-40: « Hoc est magnum et primum mandatum ».
In illo tempore: Interrogavit Iesum unus ex Pharisæis legis doctor...

205. Mt 28, 18-20: « Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».
In illo tempore: Accedens Iesus locutus est undecim discipulis, dicens ...

206. Mc 1, 9-11: « Baptizatus est in Iordane ab Ioanne ».
In diebus illis venit Iesus a Nazareth Galilææ ...

207. Mc 10, 13-16: « Sinite parvulos venire ad me ».
In illo tempore: Offerebant Iesu parvulos ...

208. Mc 12, 28 b-34 (longior) vel 28 b-31 (brevior): « Audi, Israel: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo ».
In illo tempore: Accessit unus de scribis ad Iesum et interrogavit eum ...

209. Io 3, 1-6: « Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei ».
Erat homo ex Pharisæis ...

210. Io 4, 5-14: « Fons aquæ salientis in vitam æternam ».
In illo tempore: Venit Iesus in civitatem Samariæ ...

211. Io 6, 44-47: « Qui credit habet vitam æternam ».
In illo tempore: Dixit Iesus turbis: « Nemo potest venire ad me ... ».

212. Io 7, 37 b-39 a: « Flumina fluent aquæ vivæ ».
In illo tempore: Clamabat Iesus dicens: « Si quis sitit ... 39 usque ad credentes in eum.

213. Io 9, 1-7: « Abiit et lavit et venit videns ».
In illo tempore: Præteriens Iesus vidit hominem cæcum ...

214. Io 15, 1-11: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: « Ego sum vitis vera ... ».

215. Io 19, 31-35: « Latus eius aperuit, et exivit sanguis et aqua ».
Iudæi, quoniam Parasceve erat ...

II. FORMULÆ ORATIONIS FIDELIUM

Ex omnibus formulis quæ in Ordine Baptismi vel hic proponuntur, una vel alia adhiberi potest. Licet tamen ex his elementa varia seligere, immo nova inserere, quo aptior fiat oratio, maxime ut specialibus familiarum sollicitudinibus caveatur. Semper autem concluditur invocatione Sanctorum.

1

216. Cf. supra, in Ordine Baptismi pro pluribus parvulis, n. 47.

2

217. Vocáti a Dómino tamquam regále sacerdótium, gens sancta et pópulus acquisitiónis eius, pro his párvulis, qui grátiam Baptísmi adeptúri sunt, pro paréntibus eórum atque patrínis, pro ómnibus baptizátis Dei omnipoténtis misericórdiam invocémus.

Ut per Baptísmum hos párvulos Ecclésiæ tuæ aggregáre dignéris:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut signo crucis signáti per omnes vitæ sémitas Christum Dei Fílium palam profiteántur:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut consepúlti cum ipso per Baptísmum in mortem simul et resurrectiónis eius partícipes fiant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut paréntum et patrinórum verbis et exémplis edócti tamquam vívida Ecclésiæ membra créscere mereántur:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut in ómnibus hic adstántibus renovétur grátia Baptísmi:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut omnes Christi discípuli, in unum corpus baptizáti, in una semper fide et caritáte permáneant.

℟. Te rogámus, audi nos.

Sequuntur invocationes Sanctorum.

3

218. Fratres caríssimi, pro his párvulis, qui grátiam Baptísmi adeptúri sunt, pro paréntibus eórum atque patrínis, pro ómnibus baptizátis Dómini nostri Iesu Christi misericórdiam invocémus.

Ut hi párvuli per Baptísmum adoptiónem recípiant filiórum, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut, viti veræ pálmites insérti, Christi discípuli fide sua perfécti evádant, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut, præcépta Christi servántes, semper in dilectióne eius permáneant et Evangélium homínibus confidénter annúntient, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut, iustificáti grátia Christi Salvatóris, hereditátem consequántur ætérnam, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut paréntes et patríni hos baptizándos in Dei sciéntia instítuant et amóre, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut omnes hómines regeneratiónis baptismális fiant partícipes, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Sequuntur invocationes Sanctorum.

4

219. Vocáti a Dómino tamquam regále sacerdótium, gens sancta et pópulus acquisitiónis eius, pro his párvulis, qui grátiam Baptísmi adeptúri sunt, pro paréntibus eórum atque patrínis, pro ómnibus baptizátis Dei omnipoténtis misericórdiam invocémus.

Ut hi párvuli per Baptísmum efficiántur adoptiónis fílii, in quibus Deus sibi compláceat, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut ex aqua et Spíritu Sancto renáti, in eódem Spíritu semper vivéntes, vitam novam homínibus manifèstent, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut diáboli insídias et vitiórum illécebras váleant superáre, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut Dóminum ex toto corde, ánima, mente et virtúte díligant et próximum suum sicut seípsos, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut nos præséntes his infántibus fídei nostræ testimónium præbeámus, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut omnes Christi fidéles signum crucis, in Baptísmate accéptum, semper et ubíque suis éxprimant móribus, Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Sequuntur invocationes Sanctorum.

5

220. Pro his párvulis, pro paréntibus eórum et patrínis omnibúsque baptizátis Christi misericórdiam deprecémur.

Ut ex aqua et Spíritu Sancto in vitam renascántur ætérnam:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut Ecclésiæ sanctæ tuæ vívida membra fiant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut Evangélium sanctum tuum audíre, serváre et testificári queant:

℟. Te rogámus, audi nos.

Ut ad mensam sacrifícii tui lætánter pervéniant:
℟. Te rogámus, audi nos.

Ut Dóminum Deum et próximum suum, sicut docuísti, díligant:
℟. Te rogámus, audi nos.

Ut, verbis et exémplis christianórum edócti, in sanctitáte et sapiéntia crescant:
℟. Te rogámus, audi nos.

Ut discípuli tui omnes in una semper fide et caritáte degant:
℟. Te rogámus, audi nos.

Sequuntur invocationes Sanctorum.

III. ALTERA ORATIO EXORCISMI

221. Dómine Deus omnípotens,
qui Fílium tuum unigénitum misísti,
ut hóminem, peccáti servitúte captívum,
filiórum tuórum libertáte donáres,
te humíllime pro his infántibus deprecámur:
ut, quos scis huius mundi expertúros illécebras
et contra diáboli insídias pugnatúros,
passiónis et resurrectiónis Fílii tui virtúte
ab originális culpæ labe nunc erípias
et, eiúsdem Christi grátia munítos,
in itínere vitæ suæ sine intermissióne custódias.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

IV. BENEDICTIO ET INVOCATIO DEI SUPER AQUAM

1

222. Cf. formulam in Ordine Baptismi pro pluribus parvulis, n. 54.

2

223. Celebrans: Benedíctus Deus, Pater omnípotens, qui aquam ad purificándum et vivificándum creásti.

Omnes: Benedíctus Deus (vel alia apta acclamatio populi).

Celebrans: Benedíctus Deus, Fíli unigénite, Iesu Christe, qui de látere aquam cum sánguine profudísti, ut ex morte et resurrectióne tua nascerétur Ecclésia.

Omnes: Benedíctus Deus.

Celebrans: Benedíctus Deus, Spíritus Sancte, qui Christum ad aquas Iordánis baptizátum unxísti, ut omnes nos in te baptizarémur.

Omnes: Benedíctus Deus.

Celebrans: * Adésto nobis, Dómine, Pater unus, et sanctífica creatúram aquæ, ut, in ea baptizáti, hómines a peccáto abluántur et ad vitam tuórum renascántur adoptiónis filiórum.

Omnes: Exáudi nos, Dómine (vel alia apta invocatio).

Celebrans: Sanctífica creatúram aquæ, ut, qui per eam in mortem et resurrectiónem Christi baptizántur, confórmes fiant imágini Fílii tui.

Omnes: Exáudi nos, Dómine.

Celebrans manu dextera tangit aquam et pergit:

Sanctífica hanc creatúram aquæ, ut Spíritu Sancto regeneréntur quos elegísti, et partem hábeant pópuli sancti tui.

Omnes: Exáudi nos, Dómine.

---

* Quoties præsto est aqua baptismalis iam benedicta, omissis invocationibus Adésto nobis et iis quæ sequuntur, celebrans dicit:

Huius aquæ benedíctæ mystério, ad spiritálem regeneratiónem introdúcere dignáre fámulos tuos (N. et N.) et fá-

mulas tuas (N. et N.), quos ad hoc lavácrum in fide Ecclésiæ vocásti, ut hábeant vitam ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

3

224. Celebrans: Clementíssime Pater, qui de Baptísmatis fonte novam filiórum tuórum vitam in nobis scaturíre fecísti.

Omnes: Benedíctus Deus (vel alia apta acclamatio populi).

Celebrans: Qui ex aqua et Spíritu Sancto in unum pópulum omnes baptizátos in Fílio tuo Iesu Christo coadunáre dignáris.

Omnes: Benedíctus Deus.

Celebrans: Qui caritátis tuæ Spíritu, quem córdibus infúndis, nos líberas, ut tua pace fruámur.

Omnes: Benedíctus Deus.

Celebrans: Qui baptizátos éligis, ut in ómnibus géntibus Evangélium Christi tui lætánter annúntient.

Omnes: Benedíctus Deus.

Celebrans: * Hanc aquam benedícere ✠ nunc dignáre, qua baptizándi sunt fámuli tui (N. et N.) et fámulæ tuæ (N. et N.), quos ad lavácrum regeneratiónis in fide Ecclésiæ vocásti, ut hábeant vitam ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

---

* Quoties præsto est aqua baptismalis iam benedicta, omissa invocatione Hanc aquam benedícere, celebrans dicit:

Huius aquæ benedíctæ mystério, ad spiritálem regeneratiónem introdúcere dignáre fámulos tuos (N. et N.) et fá-

mulas tuas (N. et N.), quos ad hoc lavácrum in fide Ecclésiæ vocásti, ut hábeant vitam ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes: Amen.

V. ACCLAMATIONES, HYMNI ET TROPARIA

Acclamationes e libris sacris desumptæ

225. Quis símilis tui in fórtibus, Dómine?
Quis símilis tui, magníficus in sanctitáte,
terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília? (Ex 15, 11)

226. Deus lux est, et ténebræ in eo non sunt ullæ (1 Io 1, 5).

227. Deus cáritas est,
et qui manet in caritáte in Deo manet (1 Io 4, 16).

228. Unus Deus et Pater ómnium,
qui est super omnes et per ómnia
et in ómnibus nobis (Eph 4, 6).

229. Respícite ad eum et illumináminí (Ps 33, 6).

230. Benedíctus Deus,
qui elégit vos in Christo (cf. Eph 1, 3-4).

231. Dei factúra estis, creáti in Christo Iesu (Eph 2, 10).

232. Caríssimi, nunc fílii Dei estis,
et nondum manifestátum est quid éritis (1 Io 3, 2).

233. Qualem caritátem dedit vobis Pater,
ut fílii Dei nominémini et sitis (1 Io 3, 1).

234. Beáti qui lavant stolas suas
in sánguine Agni (Ap 22, 14).

235. Omnes vos unum estis in Christo Iesu (Gal 3, 28).

236. Estóte imitatóres Dei et ambuláte in dilectióne,
sicut et Christus diléxit nos (Eph 5, 1-2).

Hymni in stylo Novi Testamenti

237. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum magnam misericórdiam suam
regenerávit nos in spem vivam,
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis,
in hereditátem incorruptíbilem,
conservátam in cælis propter vos
in salútem témpore novíssimo revelándam (1 Pt 1, 3-5).

238. Magnum est pietátis sacraméntum,
ante mundi constitutiónem præcógnitum,
novíssimis tempóribus manifestátum:
Christus Iesus,
carne passus et mortificátus,
spíritu vivificátus,
géntibus prædicátus,
in mundo créditus,
in cælum proféctus,
dona lárgiens homínibus,
in glória super omnes cælos assúmptus,
ut impléret ómnia, allelúia (Cf. 1 Tim 3, 16).

Troparia ex antiquitate et liturgiis selecta

239. In te crédimus, Christe:
tuum córdibus lumen infúnde, ut lucis fílii efficiámur.

240. Ad te vénimus, Dómine:
tuam ánimis vitam largíre, ut adoptiónis fílii in te evadámus.

241. E látere tuo, Christe, fons aquæ prorúpit,
quo abluúntur mundi sordes et vita renovátur.

242. Super aquas Patris vox ádvocat, glória Fílii refúlget,
et Spíritus Sancti cáritas vivíficat.

243. Ecclésia sancta, manus exténde et natos illos súscipe, quos ex aquis regénerat Sanctus Dei Spíritus.

244. Gaudéte, baptizáti,
eléсta vasa Regni,
in morte consepúlti,
Christi fide renáti.

245. Fons hic est vitæ, qui totum déluit orbem,
sumens de Christi vúlnere princípium.
Cælórum Regnum speráte, hoc fonte renáti.

VI. FORMULÆ BENEDICTIONIS FINALIS

1

246. Cf. in Ordine Baptismi pro pluribus parvulis, n. 70.

2

247. Celebrans: Dóminus Deus omnípotens, qui per temporálem Fílii sui nativitátem mundum perfúdit gáudio, omnes hos nóviter baptizátos benedícat, ut ad plenam cum Christo conformitátem pervéniant.

Omnes: Amen.

Celebrans: Dóminus Deus omnípotens, qui vitam terrénam largítur et cæléstem, dignétur patres et matres horum benedícere parvulórum, ut, qui de sóbole grátias nunc agunt accépta, perpétuo cum ipsa in gratiárum máneant actióne.

Omnes: Amen.

Celebrans: Dóminus Deus omnípotens, qui nos ex aqua et Spíritu Sancto in vitam regenerávit ætérnam, hos fidéles suos muníficus benedícat, ut semper et ubíque vívida sint membra pópuli sui et pacem suam ómnibus hic præséntibus largiátur.

Omnes: Amen.

Celebrans: Benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes: Amen.

Celebrans: Ite in pace.

Omnes: Deo grátias.

3

248. Celebrans: Deus, vitæ et caritátis auctor, qui corda matrum in suos génitos dilatávit, horum baptizatórum matres respíciens, benedícat, ut, quæ pro suscépta prole grátias agunt, filiórum dilectióne, proféctu et virtúte læténtur.

Omnes: Amen.

Celebrans: Deus, omnis paternitátis princeps et exémplar, sua benignitáte patres étiam horum infántium prosequátur, ut, suæ conversatiónis exémplo, fílios addúcant ad matúram vitæ christiánæ ætátem.

Omnes: Amen.

Celebrans: Deus, cunctórum hóminum amátor, omnes nunc adunátos propínquos et amícos cleménter inténdat, ut illos a malo custódiat pacémque eis úberem largiátur.

Omnes: Amen.

Celebrans: Benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes: Amen.

Celebrans: Ite in pace.

Omnes: Deo grátias.

4

249. Celebrans: Fratres, miseratiónibus et grátiæ Dei Patris omnipoténtis, Fílii eius unigéniti et Sancti Spíritus

vos commendámus. Ipse custódiat vitam vestram, ut, in lúmine fídei ambulántes, ad promíssa bona perveniátis, et nos vobíscum.

Omnes: Amen.

Celebrans: Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes: Amen.

Celebrans: Ite in pace.

Omnes: Deo grátias.

INDEX

HOC VOLUMEN
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
EXCUSUM EST
IMAGINEM INITIO VOLUMINIS POSITAM
IOANNES ALOISIUS UBOLDI
DELINEAVIT

ISBN 88-209-1546-4



€ 8,00